



**Brevis antibole, sive responsio secunda Heinrychi Bullingeri
ad maledicam implicatamque Joannis Cochlei de Scripturae et
ecclesiae autoritate replicam, una cum expositione de sancta
Christi catholica ecclesia ...**

<https://hdl.handle.net/1874/406635>

BREVIS ANTI

BOAH SIVE RESPONSIO SECUNDA
 Henrychi Bullingeri ad maledicam implicatamq; Ioan-
 nis Cochlei de Scripturæ & ecclesiæ autoritate Repli-
 cam, unâ cum Expositione De sancta Christi catholica ec-
 clesia, ad illustrissimum principem & dominum D.
 OTTONEM HEINRYCHVM Pa-
 latinum Rheni, & utriusq; Baua-
 riæ Ducem, &c.



IESVS.
 Hic est filius meus dilectus, in quo placata est anima
 mea, Ipsum audite.
 Math. 17.

TIGVRI APVD FROSCHOVERVM
 Mense Nouembri, Anno M. D. XLIIII.

BREVIS ANTI

HANC SIVE RESPONSIQ. SECUNDA
 LIBERATIONI AD HANC DICAM IMPROBANDI
 DE COLLEGE DE SCIENTIIS & ARTIBUS
 OTTONIS HEINRICHI
 SALUTEM IN CHRISTO
 MDCCLXXII



HANC SIVE RESPONSIQ. SECUNDA
 LIBERATIONI AD HANC DICAM IMPROBANDI
 DE COLLEGE DE SCIENTIIS & ARTIBUS
 OTTONIS HEINRICHI
 SALUTEM IN CHRISTO
 MDCCLXXII

TIGURI ARVD PROSCHOVIVM
 Mense Novembri Anno M. D. MDCCLXXII

AD ILLUSTRIS

OPTIMUMQUE PRINCIPEM ET DOMINUM D. OTTONEM HEINRYCHUM PALATINUM RHENI, & URSIUS BAUARIÆ DUCEM, DOMINUM SUUM CLEMENTISSIMUM,
 HEINRYCHI BULLINGERI DE ECCLESIA CHRISTI
 SANCTA CATHOLICA EXPOSITIO.



RATIAS ago deo patri per redēptorem nostrum Iesum Christum, quod te quoque Princeps illustrissime & domine clementis. uerbo euangeli sui sancto & ueraci illuminauit, adeoque per te ecclesias quoque tuo subiectas dominio, ablegatis longe humanarū traditionum erroribus atque superstitionibus. Eundem illum sedulo oramus ut confirmet in te quod cepit, quo in finem usque perseueres. Non enim ignoras salutem, non bene quidem incipientibus, sed feliciter rem bene cepiam finientibus, esse promissam. Qui perseuerauerit in finem usque, ait saluator, hic saluus erit. Ideoque experimur in diem hic maxime salutis nostrae hostem aduigilare diabolus, & consilia perditionis per eos in mundo homines promouere, qui recte in studio domini currentes, positis in medium scandalis, intercipiunt palamque interuertant iam iam superantibus. Cuius quidem generis exempla non est quod longe petamus. Versantur in omnium manibus mordaces & maledici libelli contra ueritatem euangelicam scripti. Audiuntur in horas furiosi sermones multorum, quibus parum uidetur doctrinam siue praedicationem euangelij appellare nouam, nisi etiam addant haereticissimam. Quid quod in uicinia, quantum in telligo ex amicis, agit famosus ille euangelicae doctrinae conuiciator, suo succo (maledicentia nimirum) ueluti limax aut cochlea uictitans, Ioannes Cochleus, qui ut deo & hominibus contradicit, ita & bene ceptis tuis obstrepit, & cursum euangelij ubiuis terrarum quantum potest impedit. Etenim nostras quoque ecclesias, & me illarum ministrum procul in Heluetijs agerem, nec quicquam negotij cum hoc homine habentem, uirulentis suis inuasit scriptis. Caeterum cum syncerus dei timor & pium religionis studium deo instigante, pios excitet ad uigiliam, ne uidelicet in huiusmodi prauorum hominum conatibus securi, in utranque, quod dici solet, aurem dormiamus: parum pium & Christianum esse putauit, si scripta illa maledici hominis, &

Princeps illustriss. mā dicit ut mū nistri ecclesiarum syn cere praedū cent Vera bum dei, nō hominū tradiciones.

H. BVLLINGERI RESPONSI O II.

contra nostras aliasq; Germanorum illustres ecclesias scandalis ple-
na dissimulare, scandalumq; possum non amouerem. Principio
ergo respondi illius libello, quo meum librum De scripturæ sanctæ
authoritate, certitudine, firmitate & absoluta perfectione, hostiliter
oppugnat. Responzionem autem editam, additis literis, candide
mitto antagonistæ. Hic protinus Replicam parat, quam & 15. Maij
edit, sed pro sua ingenuitate non mittit. Hanc enim mense demum
Octobri submissam ab amicis accipio. In illa repetit & quodammo-
do cumulat iam etiã conuitia sua auctius. Rursus ergo coactus pie-
tate Christiana, ecclesiarum item mihi commissarum cura, ac pro fra-
tribus sollicitudine fideli, secundam hanc meam Responzionem scri-
bo. Cui nunc simplicem hanc meam DE SANCTA CHRISTI
CATHOLICA ECCLESIA, Expositionem præfigo. Hac expli-
co quid secundũ scripturas de sancta Christi catholica ecclesia credã,
credendumq; doceã, & q̃ honorifice & religiose de ipsa sentiam.
Quamquam uero hanc eandem causam antea sæpe attigerim, nunc
tamen de ipsa peculiariter & certa quadam methodo dissero, nec a-
liam ob causam, quam quod uideam aduersarium omnes nostras
ecclesias euangelio Christi credentes, ac Papæ & prælatorum eccle-
siam adorare nolentes, nõ pro ecclesijs Christi, sed pro hæreticorum
diuenticulis, conuenticulisq; schismaticorum habere, quod à sancta
Christi ecclesia defecerint. Proinde gladio uerbi dei, Gordium, imò
serpentinum illum aduersarij nodũ, in quo omnia ferè accusationis
sue uirulentæ capita colligauit, uno ictu semel discindam. Quod
autem ego de sancta Christi catholica ecclesia ex scripturis trado &
profiteor, idem alios quoq; ministros ecclesiarum euangelium per
Heluetiam & Germaniam prædicantes, sentire, & mecum docere,
non nesciunt, qui ipsorum doctrinam audiunt, uel libros eorum le-
gunt, ut hac mea expositione non tantum parias Heluetiorum, sed
reliquas quoq; Germanorum socias ecclesias à crimine atrocissimo
defectionis intentato purgare pergam. Oro autẽ tuam pietatem,
Princeps illustrissime, ut hæc mea pijs patientibusq; audias auribus.
Nam spero ista suum habitura fructum.

Qua occa-
sione & in
quẽ finem
de sancta
Christi ca-
tholica ec-
clesia disse-
retur.

Ecclesia
uocabulũ.

ECCLESIA uox est perita à Græcis, significans Latinis concio-
nem, hoc est, populum euocatũ ad audiendum de reipub. negotijs.
Nam ~~in concione~~ est apud concionem uerba facere: & ~~in concione~~ is est
qui publicitus orat apud multitudinem. Vnde S. Lucas in Actis ca-
pite 19. ecclesiam posuit pro cœtu seu concione quæ publicitus con-
fluxit. Translatum est autem uocabulum in usum sacrum, dicitq; cœ-
pit ecclesia, sanctorum communitio siue congregatio credens sancto
Christi

Christi euangelio. Ea docendi gratia diuisa est in Vniuersalem & Specialem siue particularem, in ecclesiam ueterū, qui ante aduentum Christi uixerunt, & noui populi, qui post Christi aduentum domino credidit: in ecclesiam item militantem & triumphantem, in uisibilem & inuisibilem, in ecclesiam ueram ac sanctam bonorum, & falsam siue pollutam malignantium.

Generalis ecclesia est collectio & cœtus omnium fidelium, etiam eorum qui ore confitentur se Christianos esse, ac sacramentis participant, tamen si professioni suæ nequiquam respondeant. De ea loquutus dominus, dicit, Simile est regnū cœlorum uerriculo iacto in mare, & ex omni genere cōtrahenti. *Generalis ecclesia.*

Specialis uero siue particularis ecclesia certum numerum comprehendit credētium. Paulus enim scripsit Romanorum ecclesiæ, Corinthiorum, Galatarum & Ephesiorum ecclesiæ. In epistola ad Colossenses ecclesiam ponit pro familia fidei, dicens, Salutate Nymphā, & quæ in domo eius est ecclesiam. *Particularis ecclesia.*

Ecclesia Veterum societas est omnium eorū qui ante incarnationem Christi crediderunt deo. Quemadmodum & Noui populi ecclesia omnium eorum cœtus est, qui Christo ab incarnatione crediderunt. Vbi illud admonere uolui, Cœtum sanctorum dictum esse *Ecclesia uetus & noua.*

priscis Synagogam, post euangelium prædicatum, Ecclesiam. Nam ingratum erat nomen synagogæ, cum eo uocabulo pleriq; intelligerent collectionem Iudæorum. Ergo ut doctrinæ nomen nouum inditum est, & appellatum Euangelium, ita cœtus eorum qui crediderunt euangelio, ecclesia dici cœpit. Nemo autē ignorat Synagogam aliud non esse quàm congregationem. Significat enim *Synagoga.*

unum cogere, aut contrahere. Militans ecclesia omnium fidelium congregatio est, qui adhuc in terris agentes militant, decertantes cum carne & sanguine, cum satana & mundo, à terrenis eluctantes ad cœlestia. Nam Triumphans eorum societas est, qui per mortem, calcata morte, peccato, mūdo & diabolo, cum Christo rege, iam regnant in cœlestibus, atq; de hostibus omnibus superatis, triumphant. *Militans & triumphans ecclesia.*

Visibilis ecclesia ea est, quæ ab omnibus hominibus ex confessione & participatione sacramentorum pro ecclesia agnoscitur. Inuisibilis appellatur eadem, non quod homines sint inuisibiles, sed quod hominū oculis non appareat, qui uere credant, & qui non credant, soliusq; dei oculis pateat. *Visibilis et inuisibilis ecclesia.*

Ecclesia uera & sancta bonorū in terris, est omnium sanctorum societas. Quam in symbolo confitentes, dicimus, Credo unam sanctam catholicam ecclesiam, sanctorum communionem. De ecclesia. *Bonorū & sanctorum ecclesia.*

H. BVLLINGERI RESPONSI O II.

ssa falsa ac malignantium loquutus David, Non sedi, inquit, in consilio uanitatis, & cum iniqua agentibus non miscebor. Odiui ecclesiam malignantium, & cum impijs non sedebo.

Ecclesia sancta catholica qd?

Explicatis his, in hoc negotio uulgatis & receptis uocabulis, uideamus iam quid sit reuera ipsa dei bonorum in terris sancta ecclesia catholica, de qua nos dicturos recepimus. Hanc alij non male finierunt, Ecclesia est congregatio iustorum omnium, qui uere credunt Christo, & sanctificantur spiritu Christi. Alij breuius rem absoluentes, Ecclesia, inquit, est communio sanctorum. Eadem poterat etiam hoc modo describi, Ecclesia est omnium in terris fidelium coetus, sanctorumq; arctissima quaedam coniunctio societatisq; spiritu coherens: primo quidem per fidem capiti Christo, sanctificanti ipsam: deinde uero sibi inuicem per mutuam charitatem.

Ecclesia est coetus fidelium.

In hac descriptione id primum considerandum imò demonstrandum uenit, quod ecclesia dicitur & est omnium in terris credentium coetus collectio siue communio. Paulus ergo Romanorum, Galatarum & Philippensum, aliarumq; gentium ecclesijs scribens, omnibus in ijs sanctis scribit: unde consequens est particularem ecclesiam continere omnes sanctos, qui in ipsa sunt. Cum autem Catholica ecclesia nō aliud sit quam omnium particularium complexio, quis non intelligat Catholicam ecclesiam in terris aliud non esse, quam omnium fidelium coetum? Nam ne quis ad uocabulum Sancti aut sanctorum obstupefeat, sciendum est apostolum Paulum, non alios uocare sanctos, quam fideles in terris, qui uidelicet spiritu dei sancto, uoluntate patris & sanguine filij dei sanctificati sunt. Idem Apostolus Corinthiorum ecclesiae scribens, Congregationi, inquit, dei quae est Corinthi, unā cum sanctis omnibus qui sunt in tota Achaia. Et rursum, Ecclesiae dei quae est Corinthi, sanctificatis per Christum Iesum, uocatis sanctis, unā cum omnibus qui inuocant nomen domini nostri Iesu Christi in quouis loco, &c. Idem Apostolus scribit alibi se ecclesiam dei persecutum esse: ac iterum alibi ait se accepisse potestatem à principibus sacerdotum, uinciendi omnes qui inuocant nomen Christi. Vnde liquido claret ecclesiam dei catholicam coetum esse omnium in orbe credentium & inuocantium nomen Christi. Quod illos respexisse arbitror, qui apostolico symbolo consentienti sanctam ecclesiam, explicandi gratia addiderunt, Sanctorum communionem. Alioqui non meminerunt eius particulae uel Cyprianus uel Augustinus in expositione symboli. Huc pertinet & illud Apostoli, Quem admodum corpus unum est, & membra habet multa: omnia uero membra corporis unius, multa cum sint, unum sunt corpus: sic & Christus.

Christus. Etenim per unum spiritum nos omnes in unum corpus baptizari sumus, siue Iudæi, siue Græci, siue serui, siue liberi, & omnes unum spiritum hausimus. Etenim corpus non est unū membrum, sed multa. Et paulo post, Vos autem estis corpus Christi, & membra ex parte. Et alios quidem posuit deus in ecclesia, primum apostolos, deinde prophetas, &c. Hæc sufficere putamus ad explanationē eius, quod in descriptione diximus ecclesiam catholicam esse ceterū omnium in orbe credentium. Membra igitur ecclesiæ sunt omnes credentes. Et quamuis in membris dignitas quædam sit atq; excellētia, est tamen infimum in ecclesia membrum non minus uerum ecclesiæ membrum, quàm sit supremum.

Descendimus nunc ad expositionē eius quod diximus ecclesiam esse arctissimam quandam coniunctionem societatemq;, &c. Ac primo dicemus de coniunctione quam ecclesia cum Christo habet, deinde de societate membrorum ecclesiæ inter se mutua. Coniungitur *Coniungitur ecclesia cū* nos Christo spiritu ac fide in communionē & societatem arctissimam, atq; adeo ipsi deo per Christum, ut ipse uiuat in nobis, & nos *Christo, & sit unū cum* in eo, omniaq; bona sua nobis communicet, scriptura prophætica & apostolica multis demonstrat & illustrat uenustissimis allegorijs atq; ipso. *parabolis.* Nuptiarum in primis.

Fingit enim nuptias intercedere inter filium dei, quem sponsum *Nuptiæ,* uocat, & ecclesiam quam appellat sponsam, arctissimam nimirum significans copulam, qua cum Christo coniungitur ecclesia. Verba Apostoli hoc explicabunt, qui Ephesijs sic scribit, Sic debent uiri suas diligere uxores ut sua ipsorum corpora. Qui diligit suam uxorem, seipsum diligit. Nullus enim unquam suam ipsius carnem odio habuit, imò enutrit ac fouet eam, sicut & dominus ecclesiā. Quoniam membra sumus corporis eiusdē ex carne eius & ex ossibus eius. Huius rei gratia relinquet homo patrem & matrem, & adiungetur uxori suæ, atq; è duobus fiet una caro. Mysterium hoc magnum est: uerum loquor ego de Christo & ecclesia. Hæc omnia Pauli sunt. Coniugium efficit è duobus unum corpus: unde iubetur uir relinquere patrem & matrem, & coherere suo corpori. Connubium enim non tantum est fœdus uiræ, sed & noua quædam concorporatio, omniumq; forunarum coniunctio & nexus indissolubilis, omnia quæ alterius sunt, ceu proprium alteri communicans. Talis quodammodo copula est inter Christū & ecclesiam. Christus carnem nostrā assumpsit, noster factus per omnia, nostra insuper caro eius facta est, quæ tamen ex cōtraetū & consortio nostro nihil cōtraxit impuritatis. Ipse enim cū sit sanctus sanctorū, conceptus ex spiritu sancto, & natus ex

H. BVLLINGERI RESPONSIO II.

Sanctifi-
cat ecclesiā
Christus.

Credimus
unam san-
ctam eccle-
siam, non in
unam.

Maria uirgine, sanctificat & purificat immundam ecclesiam suam, abluens eam ab omnibus peccatis, & contactu suo conferens ipsi suam puritatem, si modo non expers spiritus sancti, credat illum sibi à deo datum esse sanctificationem, iustitiam & redemptionem, Apostolo iterum testante, Eratis quondam impuri, sed abluti & sanctificati estis, sed & iustificati estis, per nomen domini Iesu, & per spiritum dei nostri. Huc referendum puto articulum fidei ex symbolo apostolorum, Credimus enim sanctam ecclesiam catholicam. Confitemur his omnes per orbem terrarum dispersos fideles, esse unam societatem et sanctam quidem, hoc est purgatam à peccatis per spiritum & sanguinem Christi. Quod nonnulli contendunt in ecclesiam esse credendum, sine auctore & nulla id ratione faciunt. Monuerunt hoc ante me & ueteres & neoterici scriptores. Cyprianus enim in Expositione symboli, Non dixit, inquit, in sanctam ecclesiam. Si enim addidisset, In præpositione, una eademque uis fuisset cum superioribus. Nunc autem præpositionis syllaba creator à creaturis secernitur, & diuina separantur ab humanis. Augustinus item de fide & symbolo legit, Credo sanctam ecclesiam, & non, In sanctam ecclesiam. Eiusdem uerba citantur de Consecrat. Distinct. 4. ca. Prima, quibus docet nos non credere in ecclesiam, sed in ecclesia conuersantes credere in deum. Paschasius quoque lib. de Spiritu sancto 1. cap. 1. Credimus ecclesiam, ait, quasi regenerationis matrem, non in ecclesiam quasi salutis auctorem. Qui in ecclesiam credit, in hominem credit. Non enim homo ex ecclesia, sed ecclesia esse cœpit ex homine. Recede itaque ex hac blasphemiarum persuasione, ut in aliquam humanam testamentum debere credere creaturam: cum omnino nec in angelum nec in archangelum sit credendum, Imperitia nonnullorum præpositionem IN uelut de proxima uicinaque sententia in consequentem traxit & rapuit, & ex superfluo imprudenter apposuit. Hæc Paschasius: cuius liber à beato Gregorio ualde approbatus est. Sed & Thomas Aquinas in Secunda secundæ art. 9. quæst. 1. de fide, Si dicitur, ait, Credo in sanctam ecclesiam, intelligendum quod fides nostra refertur ad spiritum sanctum, qui sanctificat ecclesiam: ut sit sensus, Credo in spiritum sanctum sanctificantem ecclesiam. Sed melius est, & secundum communiosem usum, ut non ponatur ibi IN, sed simpliciter dicatur, Sanctam ecclesiam catholicam: sicut etiam Leo Papa dicit. Ita ex Aquinate sumpsimus. Tam quod in symbolo Constantinopolitano patres consentientur se credere in spiritum sanctum, qui loquutus sit eis *ἐν μιᾷ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ ἐκκλησίᾳ*, in unam sanctam & apostolicam ecclesiam, non eum sensum habet quem nonnulli sequuntur. Non enim

enim consentitur se credere parres in unam ecclesiam, sed hoc potius consentitur, quod spiritus sanctus, in quem credunt, loquutus sit per prophetas, in unam sanctam & apostolicam ecclesiam. Vnum ergo consentitur esse utriusque populi & testamenti spiritum, unum prophetarum & apotolorum spiritum, qui utrobique ea quæ salutis sunt egerit in una catholica ecclesia. Vtuncque uero hoc habeat, certum est sanctos credere in deum, non in ecclesiam: ac rursus credere ecclesie, quatenus hæc ex spiritu sancto illustrata, sponsi sui uerbum sequitur, atque sequendum proponit. Sed hæc hæctenus: redimus ad coniunctionis mysterium. Huc pertinet alia allegoria de capite & membris. Nam Paulus ad Ephesios, Deus, inquit, dedit Christo nomen super omne nomen, quod nominatur, non solum in sæculo hoc, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedes illius, & eum dedit caput super omnia ipsi ecclesie, quæ est corpus illius, complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet. Et iterum, Vir est caput uxoris, quemadmodum & Christus est caput ecclesie, & idem est qui salutem dat corpori. En exponit paucis Apostolus, quid sit esse caput ecclesie, salutem uidelicet dare corpori. Quemadmodum enim caput in constitutione corporis humani, toti corpori uideretur subministrare uim uiuificam, ita ecclesia à Christi uirtute, operatione ac spiritu percipit quod est ac uiuit. Præterea libenter utitur propheta & apostoli parabola ædificij ac fundamenti, eadem ipsa significantes societatem Christi & ecclesie. Nam fundamentum ipsum constituunt Christum, cui mox imponunt ac superstruunt ecclesiam ceu ædificium. Testimonijs hoc fiet illustrius. Apud Isaiam sic legis, Sic dicit dominus deus, Ecce ego pono pro fundamento in Zion lapidem, lapidem probatum, angulum pretiosum, fundamentum solidum, qui credit, non festinabit. Eodem testimonio usus est etiam dominus noster Iesus Christus per frequenter in sancto euangelio. Paulus certe, Fundamentum, inquit, aliud non potest poni, præter hoc quod positum est, quod est Iesus Christus. Et iterum, Non estis hospites & incolæ, sed conciuues sanctorum & domestici dei, superstructi super fundamentum apostolorum & prophetarum, summo angulari lapidi, ipsi Iesu Christo, in quo quæcunque structura coagmetatur, ea crescit in templum sanctum in domino, in quo & uos coædificamini in habitaculum dei per spiritum. Ea ipsa significatissime repetit & S. apostolus Petrus in 1. epist. cap. 2. In euangelio dominus, Super hanc petram, inquit, ædificabo ecclesiam meam. Petra autem, Paulo interprete, Christus est. Super Christum ergo imposita est ecclesia, Christo inhærens & infixæ, per Christum instructa ad omne bonum, per eundem uincens etiam pot

*Christus
caput ecclesie sue.*

*Christus
fundamentum ecclesie sue.*

H. BVLLINGERI RESPONSIO II.

Christus uis, nos palmites.

tas inferorum. Rursus legimus in euangelio dixisse dominum, Ego sum uitis uera, & pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollit: & omnem qui fert fructum, purgat, ut fructum copiosorem proferat. Hoc inuolucrum est, sequitur inuolucrum explicatio, iam uos mundi estis propter sermonem quem loquutus sum uobis. Manete in me, & ego in uobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in uite: sic & uos nisi in me manseritis. Ego sum uitis, uos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, eiectus est foras sicut palmes, & exaruit, & colligunt eos, & in ignem coniiciunt & ardēt. Verbis amplioribus & explicatoribus non opinor esse opus. Quis enim non intelligat, spiritu per fidē nos Christo inferi atq; coniungi, atq; per consequens omnibus donis & bonis Christi nos communicare? Eiusdem naturæ sunt uitis & palmites: atq; illa hos irrigat: unū ergo cum Christo sunt fideles, quos succu, spiritu inquam suo irrigat & fructificat, ut fructus bonorum operum uarios proferant.

Vinculum quo coniungitur ecclesia Christo.

Ex his patere arbitror ecclesiam, id est cœtum fidelium, esse conjunctionem huiusmodi, qua illam sibi dominus arctissime copulauit, omnia bona ipsi impartiens, ipsam iustitias atq; purificans, in ipsa uiuens, animans ac uegetans ipsam, ad proferendos uere bonorum operum fructus. Et quamquam ex tota disputatione, non obscure inclaruerit fidem ac spiritum illud esse uinculum, quo ecclesia Christo coheret atq; coniungitur, subiiciā tamen nihilominus de hac eadem re unum atq; alterum euidentis scripturę testimonium. Paulus ad Romanos 8. Si quis, inquit, spiritum Christi non habet, hic nō est eius. Et quicumq; spiritu dei ducuntur, hi sunt filij dei. Quod si filij, igitur & hæredes. Hæredes quidem dei, cohæredes autem Christi. Cui respondēs Ioannes in Canonica sua, Per hoc scimus, ait, quod manet in nobis, ē spiritu quem nobis dedit. Et iterū, Ex hoc cognoscimus quod in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis. Rursus apostolus Paulus, Christus, ait, inhabitat per fidem in cordibus uestris. Cui iterū respondens Ioannes, dicit, Quisquis confessus fuerit quod Iesus est filius dei, deus in eo manet, & ipse in deo. Est autem confiteri propriissimum fidei opus. Proinde spiritu per fidem ceu uinculum coniungimur Christo regi domino & capiti nostro. Hoc uinculo qui caret, hoc est, qui spiritum Christi non habet, uiuatq; fide in Christum destituitur, non est consors societatis sanctorum, neq; membrum est corporis Christi, diserte ipso testante domino, Si quis in me non manserit, eiectus est foras sicut palmes, & exaruit,

ruit, & colligunt eos, & in ignem conijciunt, & ardent. Rursus uero apostolus Ioannes, Deus, inquit, charitas est, & qui manet in charitate, in deo manet, & deus in eo. Proinde dilectionem quoque dei à fide & spiritu non separamus.

Ita qui recte intelligunt, & apertissimis uerbis dei credunt, certum quàm crassus & blasphemus sit error Romanæ, hoc est, multorum errorum sedis, asserere audentis, Papam, id est hominem peccati, esse caput militantis per totum terræ orbem ecclesiæ. Caput corpori salutē dat, eam præstat scilicet ecclesiæ, pontifex Romanus. Capiti coniungitur corpus, Christo ecclesia spiritu ac dilectione per fidem. Quis uero talem copulam, nisi ter sacrilegus, posuerit inter militantem ecclesiam & stolidum atque blasphemum illud caput Romanum? Non dissimili infania usurpant sibi Cardinales, episcopi atque prælati ecclesiæ Romanæ, ecclesiæ Christi nomen & primum in ecclesiæ: cum plerique illorum operibus suis testentur quod parum aut nihil fidei in Christum habeant: adeo ut uideri possint ne ultimū quidem in ecclesia locum, nedum primum obtinere. Quid quod beatus Petrus, cuius isti se falso iactitant successores, scriptum reliquit, Presbyteros qui inter uos sunt obsecro, qui sum & ipse presbyter, ac testis afflictionū Christi, atque idem consors gloriæ quæ reuelabitur. Pascite quantum in uobis est gregem Christi, curam illius agentes non coacte, sed uolentes, non turpiter affectantes lucrum, sed propenso animo, neque ceu dominium exercentes aduersus clericos, sed sicut fitis exemplaria gregis. Ad eundem modum S. Paulus dixit, Sic nos æstimer homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum dei. Item, Ego uero testem deum inuoco in animam meam, quod parcēs uobis nondum uenerim Corinthum, non quod dominemur uobis nomine fidei, sed adiutores sumus gaudij uestri. Verum omissis his, ad Christi ecclesiam reuertamur.

Ecclesia corpus quoddam est, quod sicut Paulus dixit, ex multis constituitur membris. Hæc autem inter se cohærent per consensum religionis, per spiritus unitatem, & præcipue per charitatem. Nascitur illa consensio inter se membrorum, ex cōmunionē Christi. Quia enim hic ceu dominus ecclesiæ, rex & caput unicum, omnes fideles sibi aptauit in membra, filios, fratres & cohæredes, non potest odisse ecclesia sponsi sui sponsam, membra, filios & cohæredes, imò diligit eos impensissime, Ioanne apostolo attestante atque dicente, Omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus est ex eo. Si quis dixerit, diligo deum, & fratrem suum oderit, mēdax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem non uidit, deum quem non uidit, quo-

*Cohærent
inter se mem-
bra eccle-
siæ per cha-
ritatem.*

H. BVLLINGERI RESPONSIO II.

modo potest diligere? Hanc unionē congruentiamq; ob oculos qua
 si obijcere uolens apostolus, uicitur parabola membrorum in corpore
 re hominis ad Romanos sic scribens, Quemadmodum in uno corpore
 membra multa habemus, membra uero omnia nō eundem ha-
 bent actum, sic multi unum corpus in Christo sumus, sigillatim au-
 tem alij aliorum membra. Idem in 12. prioris ad Corinthios copio-
 sius significantiusq; eandem capitis & membrorum & horum præ-
 cipue parabolam exponens, atq; elegantissime expolians testificatur
 inter ima & summa ecclesie membra summū & congruentissimum
 esse consensum, sollicitudinem sedulam & auxilium fidissimum. Et
 breuius etiā testificans idem charitate sanctos in terris connecti, An-
 te omnia, inquit, charitatem, quæ uinculum est perfectionis, tenete.
 Vriusq; autem coniunctionis & nostræ cum Christo per spiritum
 ac fidem, & omnium inter se sanctorum per charitatem mentionem
 faciens apostolus Ioannes in Canonica sua, Quod uidimus, inquit,
 & audiuius, annunciamus uobis, ut & uos societatem habeatis no-
 biscum, & societas nostra sit cum patre & filio eius Iesu Christo, &c.
 Hæc ecclesia dei sancta, & unica & catholica, id est uniuersalis ap-
 pellatur, quia non licet inuenire plures. De hac ecclesie unitate egre-
 gie differens beatus Christi martyr Cyprianus in Tract. de Simplicitate
 præl. Ecclesia una est, inquit, quæ in multitudinem latius incre-
 mento fecunditatis extenditur. Quomodo solis multi radij, sed lu-
 men unum: & rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fun-
 datum. Et cum de fonte uno riui plurimi desluunt, numerositas licet
 diffusa uideatur exundantis copie largitate, unitas tamen seruatur
 in origine. Auellere radium solis à corpore, diuisionē lucis unitas non
 capit. Ab arbore frange ramū, fractus germinare non poterit. A fonte
 præcide riuum, præcisus arefcet: sic & ecclesia domini luce perfusa
 per orbem totū radios suos porrigit, unū tamen lumen est, quod
 ubiq; diffunditur, nec unitas corporis separatur: ramos suos in uni-
 uersam terram copia ubertatis extendit: profluentes largiter riuos la-
 tius expandit, unum tamen caput est, & origo una, & una mater fecunditatis
 successibus copiosa. Et reliqua. Verū de hac unitate ecclesie non tantū
 humana, sed diuina quoq; habemus testimonia. Nam in Canticis legimus,
 Vna est columba mea & perfecta mea. Quod ni mirum respiciens
 Paulus ad Ephesios, dixit, Vnum corpus & unus spiritus: quemadmodū
 & uocati estis in una spe uocationis uestre. Vnus dominus, una fides,
 unum baptisma, unus deus & pater omnium, qui est super omnia,
 & per omnia, & in omnibus uobis. Tam est ergo ecclesia propter diuersa accidentia in multas diuidatur species,

Corpus my-
 sticum.

Vna est ca-
 tholica
 Christi ec-
 clesia.

cies, docendi gratia, reuera tamen manet una uera ecclesia. Id quo in
 telligatur rectius, percurremus superiores ecclesie nomenclaturas si
 ue species, Vniuersalis ecclesia comprehendit omnes qui profitentur *Mali & hy*
 euangelium, etiam hypocritas. Quoniam uero de his dicit apostolus *pocrita in*
 Ioannes, Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis: quis non uideat *ecclesia,*
 unam perpetuo manere ecclesiam sanctorum, quæ adeo non scindi *quod paleæ*
 tur, & in plures partes diuiditur hypocritarum apostasia seu reuela- *in tritico.*
 tione potius, ut magis reddatur purgatio? Religiosissime enim S.
 August. lib. 7. contra Donatistas cap. 51. putat malos esse in ecclesia
 quod sunt paleæ in tritico, zizania in segete, proditores inter ciues, et
 profugi inter milites. Arqui manifestum est triticum reddi purius, læ
 tiorem segetem, ciues tutiores, militesq; fortiores, quando discedunt
 ab ijs paleæ, zizania, proditores ac profugi. Specialibus porro siue
 particularibus ecclesijs, sic non scinditur ecclesie unitas, ut regnum
 non diuiditur copia plurimarū urbium. Nam ex pluribus urbibus
 constituitur regnum, quemadmodum ex pluribus membris constit
 corpus integrum. Rursus eandem esse fidem, eandem ecclesiam eo
 rum qui ante Christum & qui post Christū fuere, illud euincit quod
 S. Petrus ait spiritum Christi fuisse in prophetis: & quod S. Paulus
 Corinthijs scribit patres omnes eandē escam spiritualem comedisse,
 & omnes eundem potum spiritualem bibisse: bibisse autem de spiri
 tuali quæ ipsos comitata sit petra, petram fuisse Christum. Neq; ue
 ro plures sunt uineæ, sed una duntaxat uinea domini est, in qua agri
 colæ alij & alij diuersis sub temporibus laborant. Quibus uero in re
 bus differamus à ueteribus, aliàs sæpius dictum est. Iam uero Trium
 phans ecclesia, non aliud nacta est caput, aliud militans. Vider qui
 dem hæc in speculo, quod illa cernit de facie ad faciem. Nec cessat in
 sanctis charitas. Vnde fit ut unum sit perpetuo corpus, una ecclesia
 beatorum & beandorum. Ideo Apostolus ad Hebræos de patribus
 loquens, dicit, Omnes hi testimonium promeriti per fidem, non ac
 ceperunt promissionem, quod deus de nobis melius quiddam pro
 uidit. Ita non scinditur ecclesie unitas, quia alia uisibilis, alia inuisi
 bilis dicitur. Nam si uisibilis, fidem inuisibile dei donum habet, ea
 dem est cum inuisibili non diuersa. Præterea ut malignantium una *Impiorum*
 est ecclesia, ita una est duntaxat piorum. Esse autem unum corpus o
 est unum
 corpus.
 mnum ab exordio mundi impiorū, illud arguit maxime, quod do
 minus apud Math. dixit, Veniet super uos omnis sanguis iustus, qui *Consolatio*
 effusus est super terram à sanguine Abel iusti, usq; ad sanguinem Za
 ex eo quod
 chariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templū & altare, &c. Ha
 una est ca
 ther autem consolationis plurimum illud quod una duntaxat est ec
 clesia.

H. BVLLINGERI RESPONSIO II.

eclesia. Inde enim colligimus nos & Christi domini & omnium ab exordio mundi sanctorum esse socios atq; cohæredes, amicos atque domesticos. Imò tantæ ecclesiæ suæ communionem facit dominus, ut pro transfuga & desertore religionis eum habeat, quicumq; se separat à Christiana societate: sed & eius autoritatem sic commédât, ut dum illa uiolatur, suam ipsius imminutam censeat. Quæcumq; ait, ligaueritis uel solueritis in terra, ea et in cælo ligata solutaq; erit. Et schismatici sunt, qui licet nihil in doctrinæ sinceritate fideiue articulis aberrent, separant se tamen ab hac ecclesiæ unitate, quæ deum rite colit, & uni omnia tribuit, ab uno omnia petit, unum audit, et in unico filio omnem plenitudinem quærit. Etenim unitas ista ecclesiæ consistit primo in communionem Christi capitis & membrorum in spiritu per fidem, qua ita coniugimur Christo, ut ipse nobis omnia bona sua communique, & nos eius uita iustificatione & sanctificatione participemus, uelutiq; membra ab unico capite pendeamus, ab uno omnia postulantes, uni omnia tribuentes, ac soli spe & dilectione maxima adhærentes. Scindunt hanc corporis Christi cõpagem, qui alibi quàm in Christo salutem & docent & quærunt. Consistit hæc ecclesiæ unitas & in doctrinæ sanæ, è uerbo dei petite, unanimes consensu, in firma ueritatis obseruatione, fidelitq; obediètia, deniq; in religioso dei cultu & legitimo sacramentorum à sponso traditorum usu. De ritibus in ecclesia à sanctis non odiose & pertinaciter rixatur. De qua re mox dicemus quædam. Qui iam contra scripturam, quæ uerbum dei est, contra fidei articulos, cõtraq; ecclesiæ uerbo dei natæ & nutritæ dogmata sana, ex sua opinione uel humana electione, diuersa & aliena recipit, deligit, tradit, sectatur, & pertinaciter reuoluens defendit, hæreticus est. Præterea consistit ecclesiæ unitas in unanimitate amabili & charitate plena communionem, inq; officij charitatis sanctorum, qui amore, studio, consilio & auxilio ita inter se cohærent, & muruo se iuuant, sicuti membra hominis in corpore humano. Vnde Apostolus, Sustinentes inuicem, ait, in dilectione, satagentes seruare unitatem spiritus, in coniunctione pacis, &c.

Schismaticus quis?

Hæreticus quis?

Ecclesia nulli loco alligata.

Iam ut una est ecclesia, ita per totum terrarum orbem dicitur dispersa, nulli loco alligata. Ideo enim Ioannes in euangelio dicit, mortuum esse filium dei, ut filios dei qui erant dispersi per orbem, congregaret in unum. Stulti itaq; fuerunt Donatistæ hæretici, qui ecclesiam certo affixerunt loco, asserentes nullibi esse ecclesiam, nisi apud suo illo errore infectos homines. Quibus parum dissimiles sunt Romanenses nostri, qui & ipsi nullam in orbe ueram Christi ecclesiam agnoscunt, nisi quæ se prius subiecerit sedi Romanæ, Sed hæc istorum hominum tyrannis

tyrannis est. Veritas canonica æquat omnes per totum terræ orbem ecclesias Christi. Non hæc illi aut illa huic dominari cupit, in charitate omnes se mutuo complectuntur, & Christum omnes, caput, regem & pontificem suum agnoscunt & celebrant. Eadem ueritas ecclesiarum ministros omnes æquat. Testatur omnes eiusdem esse potestatis, dignitatis honorisq;: nisi quod alij alijs excellentiora dona consequuti sunt. At hic maxime ualet uerbum domini, Quicumq; uoluerit inter uos magnus fieri, sit uester minister: & qui uoluerit inter uos primus esse, sit uester seruus. Huc pertinere uidetur illa sancti Hieronymi celebris ad Euagrium sententia, Nec altera Romanæ urbis ecclesia, altera totius orbis existimanda est. Et Galliæ, & Britannia, & Africæ, & Persis, & Oriens, & India, & omnes Barbaræ nationes, unum Christum adorant, unam obseruant regulam ueritatis. Si auctoritas quaeritur, orbis maior est urbe. Vbicunq; fuerit episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, siue Alexandria, siue Tanis, eiusdem meriti, eiusdem est & sacerdotij. Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, uel sublimiorem uel inferiorem episcopum facit. Cæterum omnes apostolorum successores sunt. Hæc ille. Et quanquam idem in eadem epistola dicat presbyteros unum aliquem ex se elegisse, quem in excelsiori gradu collocarint, in schismatis remediū: id tamen nihil pro ea facit sede, quæ à multis hodie adoratur. Nam ut uni Romanæ sedis non subdit omnes per orbem ecclesias, ita humana est inuentio, & sine hodie caret, ob quem stabilita est. Sedent enim in sede illa, qui dispergunt magis quam colligant, qui sibi uenditâr quæ Christi sunt, & suas leges pro Christi uerbo ecclesiæ obrudunt, Antichristum non Christum nobis referentes. De qua re dixi quædam in cap. 27. & 29. Responsionis meæ primæ.

Cæterum haud difficile erit, ex his quæ allata sunt hæctenus, colligere, unde oriatur aut quomodo plantetur aut etiam conseruetur ecclesia. Oriur non è terra, aut dispensatione, uoluntate & fauore Romani pontificis, sed per spiritum & uerbum dei, è cælo. Si enim ecclesia cærus est siue collectio omnium credentium, si fide & spiritu coniungitur cum Christo: spiritu item, unitate fidei & charitate coheret cum omnibus sanctis, spiritus autem, fides & charitas dona sunt cælestia, oriur certè ecclesia è cælo. Rursus, Si fides ex auditu est, auditus autè per uerbum dei: si item ecclesia recte dicitur generari è uerbo dei, certè ex deo nata rectissime creditur. Paulus em̄ dicit, In Christo Iesu per euangelium ego uos genui, Et Petrus, Renati estis non ex semine mortali, sed ex immortali per sermonè uiuentis dei & ma

*Aequales
ecclesie &
ecclesiarum
ministri.*

Vnde oriatur ecclesia, quomodo plantetur & conseruetur.

H. BVLLINGRRI RESPONSIO II.

nentis in æternum, quod illud ipsum uerbum est, quod per euangelium delatum est ad uos. Eodem autem uerbo dei plantatur, regitur & conseruatur ecclesia, quo generatur. Nam Apostolus iterum dicit, Christus dedit alios quidē apostolos, alios uero prophetas, alios autem euangelistas, alios autē pastores & doctores ad institutionem sanctorum in opus administrationis in ædificationē corporis Christi, donec perueniamus omnes in unitatem fidei & agnitionis filiū dei, in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenē adultæ Christi, ut non amplius simus pueri, qui fluctuemus & circumferamur quouis uento doctrinæ per uersutiam hominum, per astutiã, ad circumuentionem imposturæ: sed ueritatem sectantes in charitate, adoleuimus in illū per omnia qui est caput, nempe Christus: ex quo totum corpus dum coaptatur & compingitur per omnem commissuram subministrationis, iuxta actum in mensura, uniuscuiusq; partis, incrementum corporis facit, in ædificationem sui ipsius per charitatem. Hæc de illo hætenus ex scriptis protulimus apostolicis, quomodo plantetur atq; conseruetur ecclesia. Proinde non ædificabitur neque conseruabitur ecclesia Christi ullis hominum uel armis uel consilijs aut practicis. Dominus enim collecturus ex toto terrarum orbe ecclesiam catholicã, non emisit milites, sed prædicatores uerbi sui, qui gladio uerbi dei mundum Christo subigerent. Quia ipse Christus non alio gladio, quàm spiritu oris sui dicitur iugularurus Antichristum. Et Paulus apostolus Corinthijs scribēs, dicit, Cum ego ad uos uenirem fratres, non ueniebam cum eminentia sermonis ac sapientia, annunciãs uobis testimonium dei. Non enim me iudicauit quicquam scire inter uos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixū. Et prædicatio mea non erat in persuasorijs humanæ sapientia uerbis, sed in ostensione spiritus & potentia, ut fides uestra non sit in sapientia hominum, sed in potentia dei.

Quomodo
ecclesia
Christi non
erret.

Hæc autem ecclesia, quæ spiritu, fide ac uerbo Christi nascitur, regitur ac conseruatur, non errat (de fidei doctrinæq; erroribus, non uitæ & morum uitijs loquimur) non quia hominum collectio est, sed quia Christi ecclesia est, ea inquam, de qua ipse dominus Iesus dixit, Oues pastorem sequuntur, quia nouerunt uocem eius. Alienum autem non sequentur, sed estugient ab eo: quia non nouerūt uocem alienorum. Ideo & Cyprianus de ipsa legitur dixisse, Adulterari nõ potest sponsa Christi, in corrupta est & pudica. Vnam domum nouit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Alioqui enim illud scripturæ semper uerum est, Omnis homo mēdax, solus autem deus uerax. Quia ergo uera & sancta Christi ecclesia in nullo suum sequitur

sequitur arbitriū, sed ubiq; & in omnibus ab uno dei uerbo dependet, in quo nullæ sunt tenebræ, errores nulli, ideo dicitur non impie, ecclesiam Christi non errare. Nam & Paulus ad Timotheum scripsit, Hæc ad te haftenus dedi, ut noris quomodo oporteat te in domo dei uersari, quæ est ecclesia dei uiuentis, columna & basis ueritatis. Quare obsecro columna & basis ueritatis? quia innititur super fundamentum apostolorum & prophetarum, summo angulari lapidi, ipsi Iesu Christo, qui est petra & ipsissima ueritas. Proinde reuera & proprie ipsum dei uerbum, quo regitur ecclesia, est columna & basis ueritatis: est & ecclesia propter uerbum dei, cui innititur, columna & basis ueritatis. Iccirco quæcunq; iudicat ecclesia, secundum uerbum Christi iudicat: & sine uerbo ac contra uerbum Christi, nihil omnino iudicat: subijcit sese in omnibus regulæ uerbi dei, nullibi sibi imperium uendicat in uerbum dei. Huc pertinet euidentiſſimum illud de spiritu uerbo & ecclesia Christi uaticinium apud Isaiam in cap. 59. Hoc est fœdus meum cum eis, Spiritus meus qui super te est, & uerba mea quæ inserui ori tuo, nunquã excident de ore tuo, neq; de ore seminis tui, neq; de ore nepotum ac pronepotum tuorum, ait dominus, usq; in sempiternum. Et hac ratione ecclesia & filia est & mater. Generatur enim ex uerbo, & generat atq; nutrit eodẽ dei uerbo. Vnde reuera mater fidelium ecclesia, magni fit a pijs suis filijs. Quo nimirum illud Cypriani pertinet, Habere iam nõ potest deum patrem, qui ecclesiam non habet matrem. Hæc nos deo seruat, hæc fit lios regno, q̄s generauit, assignat. Quisquis ab ecclesia segregatus, adulteræ iugitur, a promissis ecclesiæ separatur, &c. Porro ecclesia q̄ spiritu & uerbo Christi neq; orta est, neq; regit ac cõseruatur, ea haudquaquam meretur dici ecclesia Christi sancta, attestate iterum domino in euangelio, atq; dicente, Qui ex deo est, uerba dei audit: unde consequens est eos non esse ex deo, qui uerbum dei non audiunt. Negat idem dominus Iudæos suas esse oues, nec aliã causam allegat, nisi quod uerbo suo neq; credant neq; obsequantur. Ex quibus omnibus nemo est qui non colligat, qualis illa sit ecclesia, quæ non modo uerbum dei non audit, sed credentes uerbo euangelij persequitur atq; extinguit, insuper & humanis traditionibus tota innititur. At ea hodie sibi uendicat primatum & imperium in uniuersam Christi ecclesiam. Verum de tali loquens dominus, pronunciauit, Quare loquelam meam non agnoscitis? quia non potestis audire sermonem meum. Vos ex patre diabolo estis, & desiderijs patris uestri uultis obsequi. Ille homicida erat ab initio, & in ueritate non stetit, quia nõ est ueritas in eo.

Ecclesia columna & basis ueritatis.

Ecclesia patris sequens uerbum dei.

H. BVLLINGERI RESPONSIO II.

Quibus agnoscatur insignita nobis ecclesia. Verum omiſſis iſtis, pergamus clariuſ demonſtrare Verbo Chriſti & fide in Chriſtum ceu nota certiffima inſigniri eccleſiam, hoc eſt paulò ſignificantiuſ explanare, quibus notis deſignariſ nobis domi-
 nus ueram ſuam uiſibilemque eccleſiam. Soluſ quidem deus inuiſibilem eccleſiam nouit, qui uidelicet ſint ſui, & qui ſint perfeueraturi in ſinem uſque: quia tamen utile eſt ſcire, qui nobis habēdi pro filiis dei, deus hac in parte ſe nobis utcuſque accommodauit. Fidem ex charitate & pœnitentia uoluit æſtimare, ut pro eccleſiæ membris agnoſcamuſ, qui fidei aperta confeſſione, pœnitenti uita, & ſacramentorum participatione eundem nobiſcum deum & Chriſtum conſitentur. Vbi-
 que ergo purum uerbum dei, non corrupto & deprauato, ſed genuino & orthodoxo ſenſu prædicatur & auditur: ubi uera uiget pœnitentia & remiſſio peccatorum in nomine Chriſti: ubi ſacramenta legitime ex inſtituto Chriſti exercentur: ubi funduntur per Chriſtum ad deum patrem preceſ fideleſ: ubi inquam eſt fidelis & iugis adoratio, inuocatio & cultuſ æterni dei, ibi eſt uera Chriſti eccleſia. Audiamuſ de hiſ teſtimonia diuina & humana. S. Pauluſ, Chriſtuſ, inquit, dilexit eccleſiam, & ſemetipſum expoſuit pro ea, ut illam ſanctificatam, mundaret lauacro aquæ, per uerbum, ut adhiberet eam ſibi ipſi glorioſam, eccleſiam non habentem maculam aut rugam, aut quicquam eiuſmodi, ſed ut eſſet ſancta & irreprehenſibilis. Habes in hiſ internas & externas ſanctæ catholicæ eccleſiæ notas. Interna eſt ſanctificatio, Chriſti ſanguine gratuito facta, & per fidem accepta. Externa notaſ ſunt Verbum & Lauacrum aquæ: quibuſ Verbi Chriſti prædicationem & ſacramentorum diſpenſationem intellexit. In
 2. ad Timotheum 2. cap. idem dicit, Solidum fundamentum dei ſtat habens ſignaculum hoc, Nouit dominuſ qui ſint ſui, & diſcedat ab iniquitate omniſ qui nominat nomen Chriſti. Præterea legimus in Actiſ apoſtolorum, Iudæoſ audita prædicatione S. Petri, compunctoſ eſſe corde, ac dixiſſe ad apoſtoloſ, Quid faciemuſ? Petruſ uero reſpondiſſe, Reſpiciſcite, & baptizetur unuſquiſque ueſtrum in nomen Ieſu Chriſti ad remiſſionem peccatorum, & accipietis donum ſpirituſ ſancti. Et iterum, Erant autem perfeueranteſ in doctrina apoſtolorum, & communicatione ſeu beneficentia, & fractione panis, ac prædicationibuſ. Habent fideleſ in pauculiſ hiſce certiffimaſ ſanctæ Chriſti eccleſiæ notaſ, atque adeo manifeſtaſ, ut nulla opuſ ſit repetitione. De Eccleſia hac Chriſti uera diſputant uetuiſ ſcriptoſ Lactantiuſ lib.

Extra eccleſiã Chriſti nulla ſaluſ. Inſtitut. 5. cap. 30. Sola, inquit, catholica eccleſia eſt, quæ uerū cultum dei, quo ſi quiſ non intrauerit, uel à quo ſi quiſ exiuerit, à ſpe uitæ ac ſaluſiſ

salutis æternæ alienus est. Sed quia etiam hæretici suam catholicam ecclesiam esse putant, sciendū est illam esse ueram, in qua est religio, confessio & pœnitentia, quæ peccata & uulnera, quibus est subiecta imbecillitas carnis, salubriter curat. Cyprianus quoq; martyr de Sim pl. præl. Quisquis, inquit, ab ecclesia segregatus, iungitur adulteræ, à promissis ecclesiæ separatur. Nec pertinet ad Christi præmia, qui re linquit ecclesiam Christi, alienus est, prophanus est, hostis est. Habe re iam non potest deum patrem, qui ecclesiam non habet matrem. Si potuit euadere qui extra arcam Noë fuit, & qui extra ecclesiam foris fuerit, euadit, &c. Huc pertinet quod S. Augustinus lib. aduersus Fau stum Manicheum 19. cap. 17. in hæc uerba scribit, In nullum nomen religionis seu uerum seu falsum, coagulari homines possunt, nisi ali quo signaculorum seu sacramentorum uisibilium cōsortio colligen tur. Atq; idē author non uno in loco sicut & Tertullianus sacramen ta illa Christianæ societatis recensens, numerat non septem illa papi stica, sed duo Christiana, Baptismum & Cœnam dominicam.

Hic tamen illud in primis obseruandum erit, multos esse qui sine *Nō omnes* fide, ex hypocrisi, uerbum dei audiunt, in cœru sacro intente orant, *in qbus no-* sacramentis quoq; participant, sed ideo non sunt membra ecclesiæ san *tæ externæ* tæ, tamen si notæ in his reperiantur externæ. Nam huiusmodi, in *inueniuntur,* nuptijs sedent inter inuitatos, quoniam uero ueste nuptiali non *Christi* sunt induti, proiciuntur in tenebras exteriores. Rursus carent aliq no *sunt, & con* tis externis ecclesiæ, non audiunt externam uerbi prædicationē, non *trā.* participant ecclesiæ sacramentis: non quod hæc contemnant, sed q; in captiuitate detenti, & uinculis impliciti, aut alia quapiā necessitate impediti, illud audire atq; hæc percipere non datur, quæ alioqui & audire & percipere ex animo desiderant: & cum licet summo cū ani mi gaudio frequentant: atq; hi nihilominus sunt sancta ecclesiæ san ctæ membra. Exemplū uiuum habes in Daniele & socijs, qui in Ba bylonem abducti, alieniq; à sacris & cœtibus populi dei, deo dilecti & accepti erant: cum interim Hierosolymis complures quotidie sa cris interessent cœtibus, qui nihilominus abominatio erant deo. Id quod haud dubie hodie quoq; fit. Multi enim reperiuntur in Tur cia, Græcia, Asia, Aethiopia & Aphrica serui Iesu Christi, qui à sacris Christianorum per tyrannidem Machometicam exclusi, nihilomi nus membra sunt ecclesiæ: cum interim complures inter nos inue nias, sacris nostris participant ex hypocrisi, qui nihil minus sunt, q̄ quod audiunt Christiani.

Ex istis autem certo possumus colligere, ecclesiā ut loco nulli, ita neq; externis alligari notis: quas tamen, utpote à Christo traditas ac

De ritibus non odiose & pertinaciter rixantur sancti in ecclesia. ceptasq; ab apostolis fideliter & religiose, cum licet, usurpat atq; custodit. Alioqui ab initio in usu & accommodatione externorum rituum magna usa est libertate, imò pauculis adeoq; nullis ferè semetipsam ceremonijs innexuit ac oneravit. Et cum ritus nō nihil iam excreuissent, inuenti tamen sunt uiri pij & prudentes, qui ut libertatem in illis ualere, ita omnes rixas propter illos procul abesse uoluerunt. De moderatis adhuc ueterum ritibus nihil de superstitionibus Papæ loquor. S. Augustinus de hac re grauius ad Ianuarium disputans, inter alia egregie dicit, Nulla disciplina est in his melior graui prudentiq; Christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere uiderit ecclesiam, ad quancunq; fortè deuenit. Quod enim neq; contra fidem, neq; contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos uiuitur societate seruandum est. Idem mox iterum, Ecclesia dei inter multam paleam, multaq; zizania constituta multa tolerat, & tamen quæ sunt contra fidem uel bonam uitã, non approbat, nec tacet, nec facit. Hæc hæctenus de notis ecclesiæ Christianæ.

Quibus occupetur & quid operetur ecclesia.

Dicendum porrò quibus sese rebus impendat, quibus occupetur, aut quid operetur ecclesia Christi catholica. Adorat deum in essentia unum, in personis trinū, adorat autem in spiritu & ueritate: eundem colit rebus spiritualibus & puritate, quibus ipsum delectari nouit. Exercet se in fide & uerbo dei indefinenter, meditatur in lege dei excelsi. Amat cœtus & congregationes sanctas: amat prædicationem uerbi dei, qua & delectatur & afficitur maxime. Orat intentissime, deum patrem inuocat per Christū mediatorem, huius bonitatē laudat amplissime, & pro beneficijs gratias agit cumulauissime, adeoq; in deo liberatore & seruatore suo semper exultat. Sacramentis sponi sui libenter & cum gaudio in cœtu sanctorum communicat. Disciplina iustæ ut obseruantissima est, ita ei semetipsam subijcit uirò, doctores & episcopos suos tanquã patres uenerans. Purgat sese à mundi contagijs, fugit uitia strenue, persequitur studio sancto uirtutes, mortificat ueterem Adamum, & renouatur quotidie ad imaginem conditoris & redemptoris sui: ad cuius uoluntatem sese per omnia & in omnibus dictis, factis, & in tota totius uitæ cōuersatione componit, singulis momentis acceptam & rationalem sese deo hostiam offerens. Eadem aperte candide extra periculum, quoties dei gloria requirit, & in maximis rerum discriminibus etiam cum facultatum ipsiusq; uitæ dispendio deum & Christum confiteretur. Propter eundem patitur multa, & libenter quidem. Sponte enim crucem ferens, eum sequitur, qui prior per crucem & ignominiam ingressus est in gloriam.

gloriam. Confirmat item debiles, excitat desides, consolatur tristes: relinquit & calcat præsentia, caduca & terrena, ut apprehendat tenentem futura illa & æterna sponsi sui adamati bona. Præcipue uero exerceat seipsam in charitate Christiana sincera & non ficta, condonat omnibus, seruit & impendit se omnibus, nocet nemini, breuiter omnia pietatis & officia sanctæ uitæ, explet, alacris semper & indefessa. Non enim citra insignè rationem appellatur ecclesia à doctore gentium & homine electissimo, ecclesia gloriosa, non habens maculam aut rugam: quod quamuis non suo habeat beneficio suæ uirtute, sed Christi sponsi gratia, nihilominus quoniam toto studio conuertitur ad solidam puritatem, totaq; uiribus omnibus suis (sicut hæcenus exposui) enititur ad sanctitatem, munditia absoluta ei, quam ramen plene, & secundum districtum dei iudiciū, in hisce terris agens, non assequitur, sponsi bonitate & munificentia imputatur. Quo nimirum illud saluatoris pertinet, Qui lotus est, nō opus habet, nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus, Ioan. 13.

Proinde membra ecclesiæ Christi catholicæ uera, ipsam ecclesiæ catholice congregationem, non temere propter nauos aliquot, sedioso deserunt schismate: rursus alienas congregationes extra Christum & ueritatem cauent, ne ullis se sacris polluant prophanis. Ad illud respiciens apostolus Paulus, Consideremus nos inuicem, ait, in hoc ut prouocemus ad charitatem & bona opera, non deserentes aggregationem nostri mutuum, sicuti mos est nonnullis, sed adhortantes inuicem. Ac quantum scelus sit schisma, inde licet colligere, quod qui olim fecerunt idolum, usitata gladij morte perempti sunt: qui uero schismata facere uoluerunt, principes, hiatus terræ deuorat, & turba consentiens, igne cōsumpta est. Rursus autem apostolus Paulus docens uera Christi membra neq; cum impijs, neq; cum idololatriis participare, Quod consortium, inquit, iustitiæ cum iniustitiæ: aut quæ communicatio luci cum tenebris? aut quæ concordia Christi cum Belial? aut quæ pars fidei cum infideli? Quid autem templo dei cum simulachris? Et reliqua. Et iterum, Non potestis poculum domini bibere & poculum dæmoniorum. Non potestis mensæ domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. 1. Cor. 10. Seruat itaq; se puram ab omni contagio & prophanatione sancta Christi ecclesia, quæ se semper totā & in omnibus sanctificationi impendit religiosissime.

Ex istis quæ hucusq; differuimus de ecclesia Christi catholica, sine negotio intelliget pius, cur illa tot egregijs ornetur epithetis, imò dignis elogijs. Appellatur enim ecclesia in scripturis Arrium dei, Regnum dei, Domus & Locus & Templū dei, Ciuitas regis magni,

Membra ecclesiæ à corpore nō facile auelluntur.

Præconia ecclesiæ insignia.

R. BVLLINGERI RESPONSIO II.

Mons Zion, Vrbs sancta Hierusalem, Area dominica, Ouille Christi, Grex dei æterni, Columba speciosa, Soror domini, Sponsa Christi, Virgo & mater, mater et filia, Petra immota, Oliua fructifera, Hortus conclusus, Puteus aquarum uiuentium, Fons signatus, &c. Donata est his à munifico sponso & rege glorioso Iesu Christo. Inuitamur illis amplissimis præconijs omnes ad consortiū & sodalitiū ecclesiæ, in qua & Christo sponso redemptoriq; coniungamur fide, & omnibus sanctis copulemur per charitatem.

*Epilogus
expositiōis.*

Exposui hucusq; illustrissime Princeps, quid sentiam ex scripturis de sancta Christi catholica ecclesia, quid de hac credā, quomodo deniq; doceam de illa publice: quantopere item illam ornem, quam reuerear, cuius in consortio saluberrimo herere cupio, in cuius gremio memet religiosissime contineo. Exposui quid ea sit, quomodo Christo capiti coniungatur spiritu per fidem, & omnibus sanctis per charitatem, quæ inde ad fideles utilitas perueniat. Docui quod una modo sit, & in quibus consistat ecclesiæ unitas. Dixi unde orietur ecclesia, quibus rebus plantetur & conseruetur: item quibus agnoscat insignita notis: præterea quæ sint eius studia, quibus occupetur ac se se exerceat, quantumq; caueat ne uspiam sese à corporis unione separet uel per morosum schisma, uel per prophanorum sacrorum participationem. Iam ergo intelligere licet quàm maledicus sit & effrons meus ille, & omnium per Germaniam ecclesiarum euangelio Christi credentium, aduersarius. An perger dicere, perperam nos sentire de Christi ecclesia? Nihil ne tribuimus ecclesiæ, qui ea ei tribuimus, que scripturæ os dei concedit? An uero maligni & parci sumus in prædicandis eius præconijs? Amplius ei tribuere, quàm is tribuit, qui illam sibi iunxit sponsam, pro qua & morrem subiit, non est ipsam ornare laudibus iustis, sed fœdis fucare mēdacijs. Agnoscimus libenter quæcunq; ei ubiq; in scripturis conceduntur, etiamsi ea hisce nostris non inseruerimus. Nec reiicimus quæ sancti patres, quantumuis augusta amplissime de ipsa secundum fidei analogiam & scripturæ regulam disseruerunt.

*Ecclesia
Heluetio-
rum & Ger-
manorū es
uangelio
credentes,
ueræ Chris-
ti sunt ec-
clesiæ.*

Dicer fortassis hæc nostra ex nobis ipsis esse conficta, eadem nec satis firma, neq; satis esse probata. Sed reuincetur scripturarū testimonijs per me hac in Expositione citatis accommodatisq;. Si pro solita sua impudentia dicere perrexit, splendida hic quidem dicta esse de ecclesia Christi sancta catholica, uerū nostras ab illa discrepare plus, *Als die wahren,* reuincetur omnium per Heluetiam Germaniamq; ecclesiarum moribus ac testimonijs. Nostræ ecclesiæ nunquā defecerunt ab ipso capite Christo, nunquam separarunt se à societate sanctæ catholicæ

tholicæ ecclesiæ: imò perstant etiamnum firmissime in uera ecclesiæ unitate, & perstabunt deo donante in finem usq; in ijs in quibus sancta consistit unitas. Vinculum spiritus fidei & charitatis manet integrum & indissolutum. Nam est & manet in ecclesijs nostris uera & uiua catholica & orthodoxa fides in deum patrem, filiũ & spiritum sanctum. Non discedunt hæ uel latũ, quod dici solet, pilum à symbolo apostolorũ & salutaris fidei ueteris & apostolicæ ecclesiæ sana re-
 cta aperta & libera confessione. Agnoscunt pij in ecclesijs omnes in carnationis filij dei mysteriũ, redemptionis nunquã satis laudatum beneficium, & gratuiam credentium in morte filij dei iustificatio-
 nem. Christo redemptori, iustitiæ, capiti, regi, pontifici, mediatori, ue-
 ro deo & homini, intercessori, unicæ omnium fidelium salutis, uiæ, lu-
 ci & uitæ perpetuæ, adhærent omnes, & uni quidem adhæret. Non enim aliud caput cum hoc aut pro hoc unico, nõ alium regem & re-
 demptorem, non aliam iustitiam, purificationẽ & sanctificationem,
 non alium summũ pontificem, non aliam hostiam aut sacrificium
 aliud, non alium mediatorem & apud deum patrem intercessorem,
 non aliam salutem, lucem, uiam & uitã, aut agnoscunt aut recipiunt,
 uel in cælo uel in terra. Ad hũc autem modũ uirginalem pudorem
 & fidem seruant sponso Christo ecclesiæ nostræ. Sic uni adhæret, &
 ab uno dependent tota, ut non putent uel alijs sibi opus esse, uel ci-
 tra crimen se alijs coniungere posse: imò nephas esse sciunt illa com-
 municare alijs, quæ sponsi sunt solius. Hinc uero illæ aduersariorum
 lacrymæ. Dolei illis repulsam pati stolidũ illud caput Romanum,
 quod se hactenus impie uenditauit pro capite totius militantis eccle-
 siæ. Dolei ecclesias nostras unicæ Christi redemptioni tribuere tan-
 tum, ut nolint amplius papisticas redimere indulgentias. Dolei illis
 iustificatione Christi, operum & meriti humani iustitiam, imò iniu-
 stitiam reuelari. Dolei in Christi sanctificatione sanctificationes ce-
 remoniarũ uarias, & in purgatione Christi plena, auriuorum illud
 Papæ purgatorium, ablui atq; extingui. Dolei illis quod ecclesiæ no-
 stræ Christo principi ita plene expiandi uim & summum pontifica-
 tum tribuunt, ut nolint alium cum hoc aut pro hoc agnoscere sum-
 mum pontificem, non ullos alios sacerdotes expiatores, non sacrifi-
 cium ullum pro peccato, non intercessores alios, nõ uiam, uitam aut
 salutem aliam ullam. Nam omnes ecclesiæ nostræ à S. Petro edoctæ,
 unanimes clamant, Non est in alio quoquam salus. Nec enim aliud
 nomen est datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Vi-
 deat ergo Cochleus, quis hodie uinculum illud spiritus & fidei uni-
 tatisq; ecclesiæ disruptens, & sponsam separans à sponso, ecclesiam saluat.

Manet ille
 sacerdos, et
 efficax est
 perpetuo se-
 mel oblatio
 uelima:
 semp inter-
 cedit, semp
 saluat.

à creatore abducatur ad creaturas: aut quis unitatem seruans, & uinculum fidei sanctissime custodiens, ecclesiam uni Christo sponso, ut uirginem integerrimam, constringat arctissime.

*Tigurina
ecclesia nõ
uicitat ue-
neno.*

Nascuntur hæ nostræ per Heluetios & Germaniam ecclesie, non ex hominum consilijs & constitutionibus è terra, sed per prædicationem euangelij, uel scripturarum, uerbi inquam dei, è cælo. Primam enim & solidam auctoritatem habet in ecclesijs nostris scriptura, seu uerbum dei. Ex uerbo dei docetur fides in Christum. Fide inseruntur & coniunguntur Christo fideles. Omnia denique instituuntur in his ad lucernam & regulam uerbi dei: uerbo dei plantantur, gubernantur & conseruantur ecclesie. Ergo quod aduersarius Tigurinae ecclesie (urbi alioqui tam illustri, tantaque potentia & dignitate prædixæ) impingit, uicitare ipsam propinato per me ueneno, tam falsum est quod falsissimum: nisi furioso huic conuiciatori ipsum Christi euangelium uenenum esse uideatur, iuxta illud Apostoli, Euangelium his qui pereunt odor est mortis ad mortem, illis uero qui salui fiunt, odor uitæ ad uitam. Reuera autem in hunc hominem maledicum illud propheticum quadrare credas, Sepulchrum apertum guttur eorum, linguis suis ad dolum usi sunt, uenenum aspidum sub labijs eorum, Quorum os execratione & amarulentia plenum est, &c. Sed redimus ad ecclesias nostras, in quibus notæ inueniuntur ueræ Christi ecclesie. In his enim, quod iam etiã dixi, prædicatur uerbum euangelij, & in eo docetur pœnitentia & remissio peccatorum in nomine Christi, Audiuatur prædicatio ueritatis, magni fit, & recipitur. Agnoscunt & confitentur omnes peccata sua supplices deo, querunt iustam animarum medicinam apud Christum, ualeatque iusta pœnitentia. In his inuocatur deus per nomen Iesu Christi: offeruntur ingi quodam sacrificio laudes & gratiarum actiones. Administrantur reuerenter percipiunturque sacramenta Christiana religiose. Sed & disciplina & charitas fraterna non est inefficax. Et quanquam multorum in nostris ecclesijs mores uitiosi sint, eniuntur tamen illæ perpetuo ad meliora, agnoscunt imbecillitatē & peccata, petunt ueniam & gratiam, ac sese subinde reparantes ad uoluntatem dei componunt. De studijs ecclesiarum nostrarum ampliora iam non dicam, ne aduersario adulari uidear: sicuti pridem quædam mea interpretatus est. Fortassis & Paulum alicubi adulari dicit, ubi ecclesias laudat, in quibus ipsis tamen mox quædam uituperat, & multa correctæ optat.

Claret ergo, Princeps illustrissime, nostras per Heluetiam & Germaniam ecclesias non hereticorum diuertacula, neque schismaticorum conuenticula, sed ueras esse sanctas Christi ecclesias, catholicæ socias. Claret

Claret item aduersarium conuiciando semetipsum dedecorare, non
ullis Christi ecclesijs nocere. Non itaq; quicquam uel huius uel alte
rius conuiciatoris clamores, aut blanda subdolaue scripta, heroicum
tuum animum commoueant, aut à cœpto sancto optimoq; retra
hant. Cœpisti rem pulcherrimam, perge prudenter ac constanter, pa
rabisq; tibi haud dubie nomen in memoria sanctorum gloriosam,
seruabis interim & te & tuo subiectos dominio. Habes clarissimo
rum regum exempla, quæ te commoueant, Ezechij, Iosif, Valenti
niani & Theodosij. Ac quoniam te, Princeps illustrissime, amo pro
pter pietatis studium ex animo, ad res pulcherrimas te adhortor, teq;
quantū possum adiuuare, & quæ te impedire poterant, remouere cu
pio. Ideo hæc ad te scribo, & utranq; meam responsionem, quo Chri
sti ecclesiæ, uerbi dei, pietatis & salutis negotium contra Cochleum
defendo, tuo dedico nomini celeberrimo: simul ut deponam apud
posteror, ad quos forrè peruenient aduersariorum conuicia, testimo
nium, fuisse homines ueritatis studiosos, qui cupierint ueritatem de
fensam, nec defuisse Principes, qui emergentem iuuerint pietatem.
Cæterum doctissimum pijsimumq; uirum D. Adamum Barptol.
concionatorem illum tuum euangelicum, unâ cum reliquis ecclesia
rum ministris, fratribus meis dilectis, in Christo commendatos ha
bere uelis. Dominus Iesus princeps regum terræ seruet te illustrissi
me Princeps. Tiguri 10. Nouemb. 1544.

BREVIS ANTIBO

AN SIVE RESPONSI O SECUNDA,

Henrychi Bullingeri ad maledicam implicatamq;

Ioan. Cochleii de Scripturæ & Ecclesiæ

authoritate Replicam.



RATI A S ago deo patri nostro per dominum
& redemptorem nostrum Iesum Christum, qui
semper uincit ac triumphat per uerbum & ueri-
tatem æternam in ecclesia sanctorum, superatis
& in stuporem conuersis superstitio num & con-
stitutionum humanarum defensoribus. Cuius
quidem rei multa à XX. annis exempla uidi-
mus: sed memorabile exhibet nobis hodie Ioannes Cochleus, qui
cum me scripto satis procaci prouocasset ad certamen, & tantū non
obsecrasset ne contemnerem ipsum, duntaxat si cætera omnia diffi-
mulare uellem, ad ea responderem, quæ ipse pro sacrificio Missæ in
9. cap. attulerat: atq; ego morem homini gerens, non tantū respon-
dissem ad 9. cap. sed ad potissima ferè totius libri capita, singula ordi-
ne ac paulò copiosius, moderata tamen, pro rerum amplitudine, uer-
borum breuitate, tractans: non aliud ille ferè habuit quod mihi ar-
gumentis & scripturis agenti opponeret, q̄ calumnias, contumelias
& conuitia, quorum onus nauis, quod dicitur, centiremis uix queat
portare: & quod Bullingerus ingenij ostentatione, linguarum peri-
tia in sensu literali absq; solida rerum theologiarum cognitione, sti-
li item elegantia, & exquisito uerborū ornatu turgeat, rhetorice rem-
agat, prolixè scribat, & pleraq; ad rem nihil pertinentia dicat, ad apte
respondendū super obiectis plane inefficax, &c. Hoc uidelicet com-
pendio utens facile omnia mea argumenta, totamq; disputationis
meæ compagem atq; structuram dissipauit. Scilicet. Certè ut sophi-
stica hac elusione superatum se esse non obscure significat: ita mente
parum sincera plurimumq; attonita ac turbulenta se ista agere pro-
didit egregie. Quod ut clarius elucescat breuè hanc meam ^{antibonib}
Replicæ eius (eodem quo ille scripsit ordine utens) obijciam, qua &
mea resumens, & cum aduersarij argumentis conferens, mea defen-
dam, ipsius autem confutabo, adeoq; in prima illa mea responsione
pridem confutata esse docebo: non ea quidem in miserum hunc ma-
ledicumq; scriptorem dicens quæ merebatur, sed quæ pro causa &
lectorum

lectorum commodo, pro illustranda ueritate, reuincendoq; aduersario, deniq; pro mea innocentia uindicanda facere uidebuntur. Nam quod in prima mea Responfione testatus sum, idem repeto in hac se-
cunda, malle me in conuiciatoria arte uinci, q̄ uincere. Satis mihi fue-
rit, si ipsa uincat ueritas, ac æqui lectores uideant, me dicere ortho-
doxa, & agere sincere, Cochleum uero dicere falsa, & agere infidiose.
Alioqui pro mea existimatione (qui nihil earum rerum mihi nec tri-
buo nec uendicaui unquam, quarum peritia illeſme turgere fingit)
non magnopere decertarem. Christum crucifixum, per Christi gra-
tiam, scio, extra quem nihil scio. Hic est mea sapiētia, iustitiaq; & san-
ctificatio & redemptio.

Ad Praefationem Cochlei responsio Bullingeri.



Va intentione Cochleo pridem respondere instituerim, *Qua inten-*
intellexisset ille haud dubie, si posito affectu, ratione uti *tionem Bula-*
uoluisset. Nolui enim nec debui meo deesse officio: ac *lingerus*
quoniam libro de scripturæ sanctæ autoritate, certitu- *scripserit.*
dine, firmitate & absoluta perfectione, edito, omnia quæ salutis no-
stræ sunt scripturis comprehensa esse docueram: id quod Cochleus
scripto publico oppugnabat, non potui non ad defensionem semel
confessæ ueritatis armari, ac in harenam descēdere. Deinde uolui &
Cochleo gratificari, cui usq; adeo dolebat neminē esse inter nostros,
qui ipsum ulla dignaretur responsione, unde me tantum non obse-
crabat, ne & ego ipsum contemnerem. Postremo quando ille diser-
tis uerbis, Si citra aut extra scripturam, dixit, nihil uelis admittere aut
agnoscere, quod ad ueram pietatem pertineat, multos profecto reij-
cies articulos fidei nostræ, quos summa cum pietate asserimus à san-
ctis patribus nobis traditos, &c. studio profecto religionis & fidei
Christianæ, deniq; quia omnia pietatis scripture dixeram compre-
hendi, coactus, demonstraui articulos illos fidei nostræ illibatæ non
à patribus citra aut extra scripturā, nobis esse traditos, sed ex scriptu-
ris, in quibus manifestissime comprehendantur. Eadem demonstra-
tione uolui non tantum mea defendere, & aduersarij tela infringe-
re, sed & parum in scripturis exercitatis antidorum præbere: ut inte-
rim non dicam q̄ exquisitis conuictijs, & ecclesias Christi, & nos illa-
rum ministros, commaculare suo libello instituerit, quæ cerē necessi-
tate quadam spongia ueritatis abstergere oportuit. Hinc, opinor, cla-
ret qua intentione responderim pridem: iam deniq; pronunciare li-
cet, gratias ne mihi pro susceptis laboribus agāt boni, an institutum

*Mi Coch-
lee.*

mentum vituperent. De Cochleo non sum admodum sollicitus. Pluribus agit Cochleus ne uideatur esse meus. Valde enim exagitat quod in Epilogo meo hominem amice hortatus, semel & iterum dixerim, Ad te nunc conuerto, mi Cochlee, Respice obsecro, mi Cochlee, respice. At si plane non uult uideri meus, qui sim implacabilis hostis ecclesie, qui inter blandiendum capitalia instigam uulnera. An uero hoc adeo mirandum & culpandum est, quod cum multa in te culpam Cochlee, nulla tibi instigam uulnera, sed que tibi ipsi instigas, ostendam, interim amice semel & iterum dicam, Mi Cochlee, respice mi Cochlee? S. Augustinus Madaurensibus idololatrias opprobrat quod nomen Christi repellant & irrideant, interim dominos predicabiles & dilectissimos fratres appellat. Locum si requiras, inuenies episto. 42. Cui si libet, coniungas licet non dispar exemplum ex episto. 202. ad Nectarium. Sed quid humana adduco, cum abunde suppetant diuina? Dominus enim deus apud Micheam, Popule mi, inquit, quid feci tibi? ac non post multa uerba grauissima ipsis opprobrat crimina. S. Paulus operat anathema esse a Christo pro fratribus suis, cognatis secundum carnem, pro Iudaeis inquam, quos multis tibi extollit praeconijs: at de illis ipsis loquens alibi, Qui, ait, ut & dominum occiderunt Iesum, & proprios prophetas, ita & nos persecuti sunt, & deo non placet, & omnibus hominibus aduersantur, &c. Quid ergo peccauit, quod ad eum in quo plurima uiuero, dixi, Mi Cochlee? Falso tu malignam hypocrisim fictamque beneuolentiam esse criminaris. Quod tu non uis esse meus, hinc est, quod minus esse pontificis. Nam si pergeres esse Christi ueri & summi pontificis nostri, & ego in Christo tuus essem, & tu meus. Qui non sum hostis & calumniator implacabilis, uti criminaris, catholicae ecclesie, sed amicus & alumnus. Ingens discrimen est inter catholicam ecclesiam, & nuperam illam Romanam errorum & scandalorum parentem. Idcirco catholicam ecclesiam non oppugnat, neque hostis est ecclesie sponse Christi, qui nuperam ecclesiam Romanam, id est errores & scandala Romae, Papae & sacerdotum toriusque papismi oppugnat. Doler sane tibi ecclesie Romanae propugnatori, quod inter alia, Cur eos defendis, dixi, quos quales sint, nescire non potes? Impios, sacrilegos, simoniacos, crudeles, superbos, ambitiosos, sanguinarios, stupris, incestu, luxu, & execrandis implicitos facinoribus? &c. Caeterum quos tu defendas, pro quorum doctrina & ritibus certes, testatur tuus libri, qui singulis penes in folijs Romanam crepant ecclesiam. Quae uero doctrina sit, que uita, qui mores Romanensium tuorum, loquitur imò clamat totus orbis. Proinde nullis te inter blandiendum calumnijs

*Bullingerus non est
hostis catholicae ecclesiae.*

calumnijs onerare, sed infelici pondere exonerare uolui, synceroq; pectore dixi, quod iam repero, Quare defendis doctrinā Papæ, multis modis & partibus longe corruptissimam? Quare faues & participas omnia sacra prophanantibus, uendentibus atq; calcantibus? Respice, obsecro, mi Cochlee, respice, &c.

Modestix meæ exemplum è multis unum deligis illustre, quo doceas me contra te agere immodestissime: ea uidelicet, quæ tibi articulos fidei ab ecclesia edoctos & partibus de Trinitate et de Christo traditos, ac in scripturis non expresse comprehensos, opposui, dicēs, Huiusmodi obiectionem non à nominis Christiani socio, sed à Machometista aut Iudæo aliquo sanctæ Trinitatis irrisore expectassem. Et reliqua. At horum me nondum pœnituit quicquam. Nam nemini obscurum est quid fidei Christianæ hostes, Iudæi in primis, nobis obijciant contra articulum adorandæ trinitatis, hominum, non scripturarum approbatione, illum esse receptum. Proinde omnibus manifestum est quantum inter tua & illorum interfit, nisi quod tu dicis te partibus extra scripturam credere, quod isti non faciūt. At nobis nulla est contentio de eo, quid credas aut non credas: sed de eo potius, quid de Trinitate & Christo sentiendum & credendum sit secundum scripturas; siue, ut clarius dicam, quid scripturæ doceant credere? & an ex scripturis doceri possit, an in scripturis manifeste comprehensum sit, quod de Trinitate & Christo credimus? Hoc ego affirmo, tu negas. In hoc uertitur rei cardo. At Christiana modestia intra suos quoque consistit limites. Vbi agitur de gloria dei, & de primis fidei nostrę capitibus, adeoq; de religionis Christianæ fundamentis, contra eos, qui, uel his sese opponunt & diuersa confitētur, uel his sese non opponunt, imò eadem confitentur, sed tamen pro dignitate rei, atq; ita uti decebat, de ijs non loquuntur: quemadmodū Cochleus facit, q̄ ex partibus extra scripturas potissimos fidei articulos derivat: iam feruentior quidā zelus & sermo flagrantior, à serio res sacras agentibus, requiritur. Eum in me omnes pios probaturū spero. Nihil moror si improbatur Cochleo, qui quanti faciendus sit ut alijs suis multis, ita Replica hac sua docuit significanūssime.

Responsonem meam appellat librum nugacem, & uerbose prolixum. At si nugæ sunt sermones rerum nihil, nullius frugis & ponderis, leues inquam, futiles & scurriles: sicuti finiunt scriptores Latini: quis rursus non uideat, qui librum meum dūtaxat inspexit, nihil aliud tractantem, quàm quæ maxime pertinere uidentur ad cōmendationem sacrarum literarum & ueræ religionis, Cochleum depuduisse, & ore impuro expuere quæ mala dictat libido? Nec uerbose

Nil peccauit contra modestiam Bulling.

Responso Bullingeri nō est liber nugax.

H. BVLLINGRRI RESPONSIO II.

prolixus uidebitur propius expendenti ampliudinem rerum pertractatarum: Cochleo fortè ideo prolixus est, quia illum neq; recolligere, neq; recollectum iugulare potest.

Bulling. uerus non superstitiosus Christianus. Addit me intellecturum ex libro suo nuper de sanctorum inuocatione ac intercessione contra me scripto, qualis sim Christianus. Ego uero librum illum Cochlei nondum uidi: ac miror hominis consiliū, qui editis libris contra me agit, libros autem non mittit, cui primum, si modo legitime certare uolebat, fuerant mittendi. Confido tamen ex libro illo meo de Origine erroris edito (si modo contra illum scripsit) quemlibet nullo intellecturum negotio, me Christianum esse uerum, non superstitiosum, qui unice Christo innitar & credam, quo solo deniq; mediatore, pontifice, intercessore & redemptore, apud patrem, & ipse utar & alios uti constantissime doceam. Certè si tui similis es Cochlee, in tuo illo contra me libro, non uideo cur optimum tempus nugis ineptissimis respondendo, pessime desperdam. Intelligo satanam huiusmodi iniicere remoras, quo minus procedere liceat in utilioribus. Aliam tu excute quercum.

Bulling. non blasphematur Christi & ecclesiam. Absit, ais, ut talis me laudet, aut pacem mecum habeat, qui Christum & ecclesiam eius tam impie blasphematur. Verum non satis est hoc dixisse, si nescis, nisi quod dixisti, solide probaueris. Nunquam Christum blasphemauimus, nunquam sponsam eius ecclesiam contumelijs affeci: imò mori mallem, quam redemptorem meum blasphemare, aut in ecclesiam Christi sponsam quicquam insolentissime dicere. Videris ergo Cochlee, quid nominis apud bonos uiros merearis, qui innoxio atrocissimum crimen impingis blasphemiae.

Bulling. de sacra corporis et sanguinis dominici sentit secundum doctrinam apostolicam. Subijcis, Nolim cum eo pacem habere, aut ab eo laudari, qui negat Christi corpus & sanguinem in Missa offerri pro peccatis uiuorum & mortuorum. Et reliqua, quae sequuntur. Et quidem fateor liberrime me non credere Christi domini corpus & sanguinem quotidie offerri à sacerdotibus in missa pro peccatis uiuorum & mortuorum: quia diuersum me docet scriptura: cuius & plurima & euidètia testimonia tibi Cochlee in responsione mea prima annueram. Eadem scriptura symbola Cœnæ dominicæ appellat Panem & Poculum domini: quam appellationem non raro repetijt in Corinthijs suis Apostolus: transsubstantiationis nuspam meminit: quæ ut uox est philosophica, ita quod per ipsam significatur, nullis apostolicis literis docetur. Ac fateor hic quoq; me non credere uerba sacerdotis uim habere creaturas dei bonas euacuandi & transsubstantiandi conuertendiq;. Verba significant, & significando docent atq; admonent. Ita Christum in pane non adoro, sed sedentem ad dexteram patris uerum deum

deum & hominem toto corde atq; spiritu adoro. Quia is me docuit, Si dixerint hic aut illic est Christus, nolite credere. Lego apostolos Christi, panē domini fregisse cum fidelibus, reposuisse autem in thecas aut ciboria (ut tu uocas) aut circumtulisse in pompa, nusquam lego. Quod scriptum in sacris lego, credo. Non terreor hic cōiitijs ad uersarij. Clamat in cap. 1. Replicæ, ad Blaurerum me blasphema scripsisse contra Transsubstantiationem, nimirum in 2. lib. meo de Origine erro. sed nihil probat. Ut enim ubiq; ita hic quoq; iustis & solidis destituitur ex scriptura petitis argumentis. Iam si non uis laudari à me, mauius forte prædicari ab infideli. Ac reuera si ita ut cœpisti imò multis iam annis fecisti, perrexeris, nemo poterit te laudare. Non uis habere pacem mecum. Sufficit mihi, si mecum habeat pacem Christus cum omnibus mēbris suis. Si dissentis à me, ac hostis meus esse pergis, tuo id facis periculo & damno maximo, non meo.

Iubes tandem ne quid amplius à te expectem uel literarum uel re *Cochleus* sponsionis: quod uideas nullam de me spem esse reliquam, cum ec- *nihil porro* desiam Christi impugnem sceleratius q̄ ulli fecerint pagani, Iudæi *scribet con* aut Sarraceni. Dudum uero intellexi tibi non deesse uerba atrocita, *tra Bullina* & criminationes planè execrabiles. At conuitia nolo. *gerum.*
aperta p̄uata Scio te hic uel cum ipsis certare posse histrionibus: argumenta uolo, quibus quod dicis, probes etiam efficaciter. Recte tu quidē, post effusum nimbū, quieti te trades. Testabuntur studiosi & nunc quoque uerum esse ueterū paræmiam, Non pluet post noctem qua sus agris peperit. Vide interim Cochlee, ne tibi euenerit quod aleatoribus non raro usuuenit, qui cum alea omnes suas prodegerūt facultates, nec porro habēt quo certamen siue lusum restaurent, quippe omnibus exuti à collusoribus, ne tamen prorsus inopes uideātur, tandem se propter sinistram fortunam porro ab alea abstinere uelle iurant, et collusores conuitijs atq; scommatis onerant. Bene autem nobiscum agatur si à scribendo abstineat Cochleus. Ita enim bonas horas melioribus locare licebit. Hæc ad suam præfationem habeat. Nunc descendendo ad ipsius capita.

Ad Caput primum Cochlei, de articulis fidei in genere.



Gregie uero & uersipelli quadam dissimulatione transfert statum mox ab'initio nostræ disputationis, more o= *An labor* mnium sophistarū, Multa, inquit, uerboseitate defatigas *Bullingeri* frustra & teipsum & lectorē per 13. cap. libri tui, dū è scri- *superuacua* pturis probare conicdis quosdam scripturę articulos fidei, de quibus *neus sit.*

H. BVLLINGERI RESPONSIO II.

nulla est inter te & me contentio, nulla quaestio, nulla de eorum ueritate dubitatio: tantum de uocabulis quibusdam quae absque scripturae auctoritate & testimonio pia mater ecclesia recepit. Et reliqua. Ego uero nulla uerbositate, neque frustra, sed moderate utiliter & ex necessitate quadam de illis fidei nostrae articulis disputaui. Nam in libro meo De auctoritate & absoluta perfectione scripturae, docui omnia ea quae ad ueram pietatem salutemque pertinere uidentur, abunde sacris comprehensa esse literis. Tu uero hoc non tantum negas, sed uiribus omnibus tuis oppugnas: ac ut mea erroris crimineque falsi redarguas, obijcis articulos aliquot de sancta trinitate et de Christo domino, ad pietatem fideique perfectionem maxime pertinentes: quos tamen citra aut extra scripturam a patribus acceperimus traditos, &c. Hic ergo mihi demonstrandum fuit articulos istos singulos ac omnes, in sacris comprehensos esse literis, adeoque patres sanctos uoculas quaedam ad res articulorum illorum proprie exprimendas, non ex seipsis finxisse, sed accepisse ex scripturis. Id quod manifestissime demonstrauit, ideoque euicere omnia quae ad ueram pietatem & salutem pertinent, ea quoque fidei capita, quae obiecit Cochleus ex patribus absque scripturae testimonio recepta, abunde sacris literis esse comprehensa. Expedat mihi haec Cochleus, & dicat nobis de quibus sit inter nos contentio, & an labor meus sit frustraneus. Vici ego, imo uicere ueritas simplicioribus fucum facit. Adde his quod in libro suo primo contra me edico, Si, inquit, nihil uelis admittere citra aut extra scripturam, multos profecto reijcies articulos fidei nostrae, &c. In Replica uero articulorum mentione praeterita, de uocibus duntaxat absque scripturae testimonio a pia matre ecclesia receptis, nescio quid cornicatur. In utroque autem toto errat caelo. Palam enim & euidenter probaui & demonstrauit, & articulos illos & uocabula rebus data articulorum, non absque scripturae auctoritate & testimonio recepta esse ab ecclesia, quae omnia sua ad scripturas tanquam ueritatis regulam unice componit. Quando itaque illa reperit necdum ea quae obieci confutauit Cochleus, principium petit sophista miser, nec admodum pius est in piam matrem ecclesiam, quam in hoc maxime pietatem exercere constat, quod unice pendet a sponsi sui ore & uerbo.

Zuinglius
& Oecolampadius
latus lau
datis & fel
ceteris.

Et cum de articulis fidei in genere institueris disputare, quid obsecro ad tuum institutum facit quod de Zuinglio & Oecolampadio hic fuisse scribis? hominibus reuera (sic enim loqueris) in aeternum miseris & damnatis, in erroribus suis mortuis, & in inferno sepultis. Quid an iudicium illud tuum pro articulo fidei recipiemus? Hic clamas scio, Quis non uideat Bullingerum studio calumniandi tantum non insanire?

infantire: Ego uero respōdeo, De articulis fidei dicere uolebas. Si iam tibi excidisti, & aliena à proposito profers, quis non uideat Cochleū non obseruato scopo inania iuibrare & iaculari tela? Quis nō uideat miserum conuitiandi morbo laborare fœdissimo, ac dicere quidem aliquid ineptum, ne nihil dixisse, aut uictus occubuisse uideatur. Zuinglius & Oecolampadius in fide domini Iesu, & in confessione articulorum fidei Christianæ, excefferunt ex hoc sæculo: ecclesiam Christi sponsam & communionem sanctorum nunquam deseruerunt: id quod doctrina & factis suis attestati sunt. Vnde recte speramus ipsos peccatorum remissionem à patre misericordiarū, per meritum Christi Iesu redemptoris fidelium, cōsequutos, iam nunc cum Christo regnare in gloria. At non est, inquis, fides in hæresi, neq; in schismate charitas. Recte sanè. Tu uero probasses scripturis illos excessisse in hæresi & schismate, priusquam pronunciaffes, in istis hos interiisse. Multa quidem conatus es sæpe, nihil autem solidi præstitisti hucusq;. Interea intelligunt æqui lectores, quàm strenuus sis pugil, qui luctari institueris cum laruis, mortuosq; maledictis insequi. Iudiciariam potestatem omnem tradidit filio pater. Proinde non sentit Cochleus in præsentia se ultra malleum loqui.

Libelli Zuingliani ad Regem Christianū per me editi, nihil dum *Libellus* pernicuit. Extrat propalam, Iudicem lectores, an in eo intolerabilio *Zuinglij* res Zuinglij errores q̄ in alijs eius libris doceatur. Damnauit autem *ad Regem* & hunc, inquis, & Oecolampadium Lutherus. Id uero, nisi tu dixis *Christianū.* ses, ignorauissemus. Sed quid obsecro atulisti? Hominis iudicium. Ego uero dudum tibi dixeram, nolle me premi uel Lutheri uel alterius hominis sententia, nisi quatenus sua mihi approbarit scripturis factis. Tu autem libenter uersaris in loco, unde ducuntur argumeta criminatoria.

De Concordia cum Lutero à quibusdam inita, deq; Actis Franc *Concordia* fordix conscriptis, & per te mihi obiectis, nihil testari aut pronūcia *cū, Luthe* re possum: quippe qui nunquam illa uiderim legerimue, neq; un *ro.* quam illorum interfuerim conuentibus. Nihil dubito quin optime q̄ quos tu nominas, causam suam contra te, siquidem ipsis uile uideatur & necessarium, agere defendereq; possint. Sed quid hæc faciunt ad articulos fidei? *Concordia*

Rursus quid obsecro ad fidei articulos pertinet quod tua cum Ec *Eccij &* cianis conferens, tibi peroptime conuenire cum Eccio? Facile *Cochlei.* autem intelligunt emunctioris iudicij homines, an apposite ad ea responderis quæ tibi in cap. 1. obiecti. Certè ut te extrices, auctoritatem ex æquo partiris scripturæ & ecclesiæ. Quoniam ab uno & eodem

spiritu dei, inquis, qui utiq; non est maior seipso, est utriusq; scripturę
 uidelicet & ecclesię, autoritas. Cęterum nondum conuenit nobis
Ecclesiasti- pro contegis & alis nescio quid monstri. Pręterea licet unus atq;
bi non tan- idem spiritus sit, qui loquutus est per prophetas in unam sanctam et
nam usur- apostolicam ecclesiam, & qui hodie agit & operatur in ecclesia, sin-
pat autori- gulisq; ecclesię membris, nunquā tamen hęc uel illa, post acceptam
tatę quan- scripturam, tantam sibi usurparunt autoritatem, quantam scripturis
am tribuit detulerunt. Quid quod ipsi etiam apostoli spiritu sancto pleni, sua
scripturę. pleraq; scripturis approbauerunt? Et quid obsecro clarius est, quā
 ecclesiam Christi communionem esse fidelium? Fides ergo inserit
 nos sanctorum cętui. At fides ex auditu est, auditus autem per uer-
 bum dei. Vnde uerbo dei & gratię Christi acceptum fert ecclesia, qđ
 est: ac iuxta regulam uerbi dei, ex qua genita est, gerit omnia, uerbo
 dei utiq; maiorem autoritatem & honorem deserēs, quā sibi ipsi.
 Imō si habet spiritum inhabitantem, non poterit hic aliud per ipsam
 reuelare & operari, quā prius reuelauit per scripturas. Eadem sanē
 ueritas est quę legitur traditurq; in sacro codice, & quę docetur pro-
 ferturq; a sanctis ecclesię & membris & ministris: sed non ideo re-
 cipitur, eiq; credit, quia hi sic dixerunt, sed quia in codice illo, de quo
 dubitare ne phas est, scripta reperiuntur. Atq; optima probandorum
 ratio spirituum non aliunde petitur q̄ ex scripturis. Proinde licet u-
 nus atq; idem utrobiq; & in utrisq; sit spiritus, quia tamen respicit in
 omnibus ecclesia ad uerbum dei, ad quod omnia probat & exami-
 nat, ac sine quo non cupit sibi quicquam tribui, ipsa excellentiorem
 utiq; prerogatiuam uerbo dei, quā sibi ipsi religiofissime defert. Ve-
 rum de his copiose satis dixi & in libro & responsione mea. Et ut or-
 omnia tua confuse agis Cochlee, implicas & contorques, ita confu-
 sissime in presentiarum de his disputas: quippe cum te dicturum re-
 ceperis de fidei articulis, & sequēti demum capite, quędam attingas
 de autoritate scripturę & ecclesię. Diceret alius fortassis sic satis be-
 ne Saturnias habere lemas.

Ad caput II. de autoritate scripturę & ecclesię.



Iror autem qua fronte dicas, Quę deinceps loquacissime
 prosequeris de scripturarum tum ueteris tum noui testa-
 menti autoritate, claritate & perfectione, libello meo
 contraria non sunt. Ergo ne omnes oculis & mente ca-
 ptos esse credis, qui nihil uideant, nihil uel iudicare ualeant, quia tu
 hallucinaris, & ratione uti nō uis? Quod si usq; adeo probe meis tuis
 congruunt,

congruunt, quorum opus est ijs, quæ mox adiūgis? Aut si qua pios offendere uideantur, breui hac distinctione poterunt ad sanum reduci sensum: nempe quod scripturæ diuinæ secundum se quidem firmæ, claræ & perfectæ sint maxime ac fide dignæ tanquam opera spiritus sancti: quemadmodum scriptum est in cantico Moyfi, Dei perfecta sunt opera, &c. Quoad homines tamen indigent ecclesiæ approbatione testimonioq; & commendatione, propter humani cordis prauitatem, & intellectus nostri infirmitatem. Quod Aristoteles quoq; in Metaphysicis attestatur, nempe quod ad manifestissima naturæ habeat se intellectus noster, sicut ad lumen solis se habet oculus nostræ. Dignum me Hercle patella operculū. Mirum est si quisquam uel tuorum hic risum contineat, nostri certe omnes uideat te inepiam causam agere ineptissime. Non potes autem aliter, quia hæc omnia ex temetipso et hominum traditionibus habes: ut iam non dicam periculum esse, ne iustus dominus propter ueritatem oppugnatam misceat tibi spiritum uertiginis. Quis enim sanæ mentis & sobrii iudicij dicat, Scripturas per se quidem satis esse firmas, claras atq; perfectas: sed easdem nihilominus approbatione hominū egere propter humani cordis prauitatem, intellectusq; nostri infirmitatem? Quid enim est hoc aliud dicere, q̄ si dicas, Solem quidem per se satis clarum esse & illustrem, sed eundem nihilominus propter nostrorum oculorum imbecillitatem iuuandum & illustrandum esse pineis rædis? Ergone cordis humani prauitas efficacius protrahitur, permouetur, redarguitur humano quàm diuino testimonio? Ergone intellectus humani infirmitas, magis iuuatur, cōmodius subleuatur, & fortius cōfirmatur, humana approbatione, quàm diuina uirtute & authentica autoritate? Quid oro diuina perfectio plenissime omnia absoluens, sciendum relinquit hominum imbecillitati, & nunquā perfectæ in his terris scientiæ? Quid quæso est caligare in sole, si hoc non est caligare? Et quis oro putauerit humana commouendum auctoritate, qui diuinæ non præbuerit assensum? Credimus ecclesiæ nō propter ipsam. Credimus ministris ecclesiæ, non propter ipsos, sed quia illam credimus uerbo dei regenitam, uerbo dei gubernari: quia deniq; intelligimus ecclesiæ ministros scripturæ consentanea loqui. Ita crediderūt Paulo apostolo Berrhœntes Iudæi, quia prædicata Pauli conferentes cum scripturis, deprehendebāt his illa congruere. Ergo ecclesiæ propter testimonium spiritus per uerbum in ipsa habitatem atq; testificantem credimus. Qui uero de autoritate scripturarū ad dubitat, quarum testimonium scimus esse uerbum dei, quomodo quæso credit ecclesiæ, quæ auctoritatem habet ex uerbo? Ego itaq; non

Quomodo
concedat
Cochl. scri-
pturas esse
authenticas.

Confutatio
Cochleane
concessiōis.

H. BVLLINGERI RESPONSIO II.

loquaciter, ut tu calumniaris Cochlee, sed sobrie reuerenter & debita iustaq; copia, demonstrauit in Responsione mea contra te & tui similes Corcebos, scripturam, quæ uerbum dei est, ex seipsa satis habere autoritatis, nec egere ulla hominum approbatione. Quid tu ad ea respōdisti? Distinctione sophistica elabi uoluisti, sed ambabus prehensus auribus teneris, ac ipse de te testaris, quod tuus simul ac Aristorelis tui intellectus, reuera ita se habent ad clarissimam, perfectissimam authenticamq; scripturæ ueritatem ac autoritatem, sicut ad lumen solis se habet oculus nocturæ.

*Cochleus
nō sincere
confiteatur
scripturas
esse authen-
ticas.*

Si candide, ingenue, clare & sincere mecum confiteris scripturas diuinas per se esse authenticas, quare oro subinde adiungis, nihilominus approbationē ecclesiæ ad fulciendam eius autoritatem esse necessariam? An ignoras id dici & esse authenticū, quod sua seipsum autoritate commendatq; sustinet? Non sufficit autem sibi ipsi scriptura, si sine approbatione ecclesiæ nondum est authentica. At monstrum alit aduersarius haud dubie. Ipse an inscitia imprudentiæ uel malitia peccet, & tam lubricè agat, uiderit. Nec deest mihi, ob quam hoc dico, uulgaris ratio. Edidit enim ante 20. annos libros duos de autoritate ecclesiæ & scripturæ contra Lutheranos (intra menses demum aliquot primum à me uisos) in quorum 2. multa congerit difficilia scripturæ loca, præsertim ex libris Paralipomenon, quibus dicit humanam imbecillitatem non posse, quia sic scripta sint, credere, nisi confirmaretur autoritate ecclesiæ. Profert ergo numerū bellatorum sub Dauid rege consignatorum, confert terrę promissæ angustias, & exempla censuum ex historijs non pauca adfert, quibus omnibus tandē subnectit, Quis hic humanus sensus aut intellectus ad credendum per sese sufficiat? Cuius uero implorēt opem, ut imbecillitatē suam adiuuet? Quid simile uideat, legat apud cosmographos, historicos, philosophos, oratores, imò & apud poetas? Quæ enī poetarum fabula, uni populo, eiq; non toto, tantum ascripsit numerum uirorum fortium? Et reliqua. Pudet enim me impiæ rhetoricationis, & piget id maxime quod inflicto inflammatoq; uulnere non aliud adhibet malagma, quàm ideo uerum esse quod scribitur, ac ideo credendum esse, quia sic credidit & credere iussit ecclesia. An perget firmitate ratione beneficium Christi ingens pascentis quintę panibus quintę hominum millia, uertere in dubium, nisi approbasset ecclesia & ita credendū esse docuisset? Hæc scilicet digna sunt theologo scripturarum encomia. Addit his numerum talentorum auri & argenti, quæ Dauid pro extruendo tēplo, Solomoni filio reliquit. Atq; hic rursus prodigiose faciendus est, Ecce Dauid, inquit, in paupertate sua, inter

*Credimus
non ex no-
stra, sed dei
uirtute.*

Inter tot bellorū tum externorum, tum ciuiliū grauissimas expen-
 sas: atq; inter tot regias uxores, concubinas, filios atq; filias, maxi-
 mumq; aulicorum numerum, qui utiq; non sine magnis sumptibus
 quotidie alebantur, ornabantur, remunerabantur, tantas collegit o-
 pes, in auro, argento alijsq; metallis, ut neq; Cræsus, neq; Alexander
 magnus, neq; Romanorum imperatorum quisquam par fuerit huic
 umius Iudææ regi. Et cætera. Iudicet lector Christianus, q̄ prudenter
 hæc proponat Cochleus, & quàm candide & solide confiteatur scri-
 pturas sanctas esse authenticas. Quare non addidit, à Deo omnipo-
 tente, in cuius manu & administratione sunt omnes orbis thesauri,
 opes & regnum florentissimum Dauidi & posteris esse promissum,
 quod & in præsentiarum Dauidi & posteris eius abundantissime sit
 præstitum: Intellego Cochleum non crediturum, populo Israelitico
 in deserto carnes in cibum postulanti, tantam diuinitus cornunicum
 uim esse datam, quantam exhibitam scriptura narrat, nisi ecclesia ac-
 cedens, iubeat ipsum sic credere. Porro fidelis, qui credit scripturam
 esse uerbum dei, deumq; mentiri non posse, idem & opera dei con-
 templatur, & similia imò maiora uidet hominibus quotidie præstari
 beneficia, dum diuina potentia è tellure torpida & panis & uinum
 prouenit, circa controuersiam ergo credit uerbo dei, licet ecclesiæ cal-
 culus nunquam accederet. Cochleus autem ecclesiæ dūtaxat autho-
 ritati innitiur. Nam in fine cap. 5. Nos fide ecclesiæ fulcimur, inquit,
 quamlibet difficilia creditu uideantur scripturæ dicta. Uinam uero
 illud Pauli miser rectius expendisset, Abraham non infirmatus fide,
 haud considerauit suum ipsius corpus iam emortuum, cum centum
 ferè annos esset natus, nec emortuam uuluam Saræ, uerum ad pro-
 missionem dei non hæsitauit ob incredulitatem, sed robustus factus
 est fide, tribuens gloriam deo, certa persuasione cōcepta, quod is qui
 promiserat, idem potens esset & præstare. Multa ille præterea in eo li-
 bro illis connectit de numero uirorum fortium, qui fuerunt ad ma-
 num Iosaphat regis, de numero cæsorū & captiuorū ex prælio,
 quo inter se hostiliter confixerunt rex Iuda & Israel: de opibus item
 siue facultatibus regis Ezechizæ, deq; contrarietatibus scripturæ, ad li-
 teram, ut uocat, ac de multis id genus alijs immaturis quæstionibus,
 quas libenter prætereo, ne & ipse scandali infirmorū particeps fiam.
 Hoc duntaxat adiciam, Cochleum multò rectius suos illos libros,
 De autoritate ecclesiæ, & incredulitate scripturæ, inscripsisse, quàm
 de autoritate ecclesiæ & scripturæ: quanquam hanc illi ut pedisse-
 quam dominæ nō circa emphasim ad calcem posuerit. Quod autem
 difficiliora illa scripturæ loca per Cochleum prolata in medium per

Ingenium
 sinceræ fi-
 dei.

Cochleus
 de incredu-
 litate scri-
 pturæ.

H. BVLLINGERI RESPONSIO II.

tinet, nihil ambigit de traditis per scripturam pius, non ideo credens quia audit alios sic credere, sed quia credit scripturam esse uerbū dei, profectum ex ore dei, quod ut non mentiri aut pugnantia dicere, ita neq; fallere potest. Hanc ipsam scripturis fidem habendam docens & Augustinus episcopus ad S. Hieronymum, Ego, inquit, fateor charitati tuæ solis eis scripturarum libris, qui iam Canonici appellātur, didici hūc timorem honoremq; deferre, ut nullum eorum authorem scribendo aliquid errasse, firmiter credam. At si aliquid in eis offendero literis, quod uideatur contrarium ueritati, nihil aliud q̄ uel mendosum esse codicem, uel interpretem non assequutum esse quod dictum est, uel me minime intellexisse ambigam. Et reliqua. Idem in Præfat. 3. lib. de Trinitate sua conferens scripta cum scripturis canonicis, iuber sua probare per illas. In illis uero, inquit, & quod non credebatur, cum inueneris, incunctanter crede. Idem illa ipsa quæ Cochleus tam mirifica & incredibilia facit, inter mirabilia scripturæ non refert, ut uel inde appareat pijs & studiosis scripturæ lectoribus rationes superesse, quibus nodos illos, Cochleo uisos insolubiles, dissoluant. De quibus non est præsentis negotij plura disserere. Ista in hoc duntaxat protuli, ut hinc intelligant omnes, Cochlei scripta cū meis non congruere, sed & impura illum de hac causā tradere, quibus ecclesiæ suæ autoritatem sic uendicare peregit, ut interim autoritas scripturarū periclitetur. Ac nulla illum id facere iuber necessitas, cum nemo nostrū ecclesiæ, maxime ueræ, apostolicæ catholicæq; uel eripiam uel labefactam cupiat autoritatem iustam. De quibus satis disputatum est in libris nostris, ac in Responsione cap. 4.

Protestantes.

Colloquutores Protestantium Ratisponen. producit, qui & ipsi sentiant cum eo. Quoniam uero istorum scriptum hucusq; non uidi, nec uideam qua fide ipforum citant uerba, neq; hac in re, ut & in alijs ad religionem pertinentibus, ulla hominum autoritate premifustineo, non mirabitur, quod ad ea nihil respondeo. Cui accedit q̄ iudicium meum de iudicio siue testificatione, deq; interpretatione ecclesiæ, satis aliās recensui.

Nugamenta prolixa ac proprij cerebri figmenta appellat, quæ in Responsione mea de cōprehensione, approbatione, commēdatione testificationeq; protuli. Verum notus est suis iam ex uirtutibus ac arte præclara, qua quæ iustis argumentis confutare non potest, conuictijs adobruit contumelijsq;. Qui sapiunt lectores, conferunt scripta utriusq; & rem ipsam expendunt, uerborum pugnas non curant.

An Bull. ad rem non responderit.

III. euangelij, de libr. Hester, Iudith & Tobia, &c. Cæterum cōsistendā

tendendi rixandiſq; libido, nihil illum finit ſapere recte. Alioqui ex cap. 4. 5. 17. & 22. quantum ſatis eſt, collegiſſet reſponſionis. Ita cum paulo ſuſius reſpondiſſem ad ea quæ ille obiecit de Luthero, ne taſmen & ea tranſiret intacta, frigida appellauit, ut ſemper pergeret ſci licet ſui eſſe ſimilis. Ac de uerbis Brunſelſij, quid oro dicerem, quid reſponderem Cochlee? Brunſelſium nunquã uidi, ea quæ tu ex ipſius libro citas, nunquam legi, nunquam quicquam mihi cum illo nego tii fuit. Quid ergo de homine ignoto, & libris eius nunquam uiſis, & ſententia eius nunquam lecta (iniurato tibi hac in controuerſa non crediderim facile) nunquam rite expenſa, pronunciarem? Audi ui ſanẽ à uiris grauibus, quibus ille fuerat noiſſimus, uirũ fuiſſe ueritatis & pietatis ſtudioſiſſimum. Certẽ obiectionibus huiusmodi de claras, quã tibi domi tuę ſit curta ſupellex, & quãtopere ardeas nos omnibus in uiſos reddere mortalibus. Sed huiusmodi artibus temeſi pſum prodis, miniſtris Chriſti non nocet.

Brunſelſius.

Cordatis non poteſt approbari Cochle. ſententia.

Concludens tandem hoc caput, ſperas ſententiam tuam de ſcri pturæ & eccleſiæ autoritate probatam iri cordatis lectoribus. Ego diuerſum ſpero, nec ſpe mea, niſi apud uecordes, fruſtrandum ſcio. Cordati enim id probant, quod ut ex ſcripturis peti tum eſt, ita has ſo lide authenticas eſſe cõfiteur. Quod autem per cætera ut tua purges & ornas meam diſputationẽ uocas prolixam uerboſitatem, nihil ad rem facientem, ſed ſubterfugientẽ ambagibus ueritatem: facis, quod ſolent mulierculæ quædam ſtolidæ, uultui ſuperinductis coloribus uitia formæ diſſimulantes. Nam quo operoſius fucum illiniunt, eo ſpectabilior redditur ipſorum deformitas.

Ad III. caput de Trinitate perſonarum in una dei eſſentia.



Ria in hoc capite potiſſimũ agit aduerſarius. Principio exponit qua occasione, imò qua neceſſitate obiecerit no bis hũc de Trinitate articulum, Feci hoc coactus, inquit, & inuius, per importunas ueſtras falſi fundamenti aſſer tiones impuſus: non ut ullis eſſem ſcandalo inſirmis, nec ut in du bium uocarem articulorum fidem, ſed ut per eos inane ſophiſma fal ſtatis & deceptionis fundamentum ueſtrum reuellerem. Et cætera. Cur uero tacet aut diſſimulat id aduerſarius, quod in hac noſtra di ſputatione potiſſimum & primum eſt, articulum de trinitate in una deitatis eſſentia, citra aut extra ſcripturam nobis à patribus eſſe tra ditum. Repeto enim uerba ſua, Si, ait, citra aut extra ſcripturam ni hil uelis admittere, aut agnoſcere, quod ad ueram pictatẽ perũneat,

Qua occa ſione Coch. articulu trinitatis obie cerit, & q. uana eius excuſatio.

H. BVLLINGERI RESPONSIO II.

multos profecto reiicias articulos fidei nostre, quos summa cum pietate asserimus à sanctis patribus nobis traditos. Et mox, Inter quos sanè præcipuus de trinitate personarum in una deitatis essentia. De quo sanè à te quæ responderi uelim. Hæc tua sunt. His ego in mea responsione hæc opposui, Quasi uero patres sibi citra aut extra scripturas credi uoluerint. Quasi Arium & socios inique damnarint, ex suis utique inuentis, non è iudicio scripturarum uero. Damnarunt autem Arium & socios iustissime. Sua enim omnia ex scripturis & confirmarunt & tradiderunt ecclesiæ: eatenus sibi cupientes credi, quatenus ipsi uere deo crediderunt, & sua illa ex scripturis demonstrare poterunt. Et ante hæc in eadem mea responsione scribo, Quid hinc colligunt infirmiores, quàm articulum de fide sanctæ trinitatis ab hominibus esse & inuentum & traditum? Et quæ erit posthac fidei certitudo & stabilitas, si ab hominum pendeat traditione, si uidelicet citra aut extra scripturam (ita enim loqueris) hæc tanta mysteria dicantur cõstituta? Absit, absit, ut fides Christiana tam infirmo & caduco fundamento fulciatur & nitatur. Negamus omnibus modis Cochleæ, articulos fidei posse constitui decerniue ab hominibus. Fides nostra ut non reuelatur à carne & sanguine, ita non fundatur in humana decreta, sed in uera, uiua & æterna dei testimonia, Paulo attestante, Prædicatio nostra non erat in persuasorijs humanæ sapientiæ uerbis, sed in ostensione spiritus & potentiæ, ut fides uestra non sit in sapientia hominum, sed in potentia dei. Et iterum, Fides ex auditu est, auditus autem per uerbum dei. Errursus, Cum acciperetis sermonem à nobis, accepistis non sermonem hominũ, sed sicut erat uere sermonem dei, Proinde corde sincero & ore aperto libere & diserte profiteor fidem, quam in benedictã & de adoranda dei trinitate & unitate habebimus & confitemur, è scripturis diuinis nos habere & cõfiteri. Ad dimus sanctos patres grandi contumelia affici, si perrexerit defendere quod semel effutiuit. Hæc ego ad uerbum in responsione mea tibi obieci. Ad ea respondisses. Pridem tibi dixi, nobis non esse certamen de fide tua, quid credas aut non credas, sed de eo, An id quod confitemur & credimus de benedicta trinitate, adeoq; de trinitate personarum in una deitatis essentia, comprehensum sit in scriptura? Hoc ego maxime asseuero, tu uero constantissime negas. Vide quæ pie & religiose id facias. Sed dicis te coactum facere & inuitum quod facis. Quis te coegit? Vestra, inquit, importuna improbitas. Nam oportuit ita inane sophisma falsitatis & deceptionis fundamentum uestrum reuellere. At quid est morbum adijcere morbo, si hoc non est, malum quod dicitur, medicari malo? Non satis ineptijt Cochleus, cum articulum

culum trinitatis personarum in una deitatis essentia extra scripturas
 a patribus traditum nobis dicit, nisi adderet insuper, Fundamentum
 cui nos innitimur, inane fallitatis sophistica & deceptionis funda- *Falsitatis*
 mentum esse. Quod obsecro fundamentum? Fundamentum nostrum *& deceptio*
 Christus est, & quod ingenue & clare confitemur & docemus, om- *nis funda-*
 nia ea quæ ueræ pietatis sunt, & ad salutem nostram pertinent, scri- *mentum.*
 pturis comprehensa esse canonicis: etiam articulum de trinitate per-
 sonarum in una deitatis essentia: etiam articulum de domino Iesu
 Christo consubstantiali patri, ac unius personæ in duabus naturis,
 etiam articulum de uirgine dei para Maria, & reliquos articulos, quos
 licet Cochleus pie credi dicat, negat tamen in scripturis expresse com-
 prehensos. Habes quod nam sit fundamentum nostrum. Iam edisse-
 ras licet Cochlee, quibus hoc argumētis reuulseris. Nullis profecto,
 si uerum fateri uoles. Conatus quidem es illud labefactare, sed frivolo
 his tuis quæstionibus, nullis scripturæ testimonijs. Sic enim sophisti-
 catus es, Vbi quæso legis in scripturis uocabulum trinitatis aut perso-
 næ? Vbi legis filium patri esse consubstantialem aut coæqualem, &c.
 Vbi legis diuā uirginem appellari dei matrem? Addis, An non illa
 necessario ad salutem creduntur? Cum ergo ista non leguntur in sa-
 cris, non omnia quæ ad salutem pertinere uidentur, sacris sunt com-
 prehensa literis: ac cadit iam ruinosum uestrum fundamentum. Ego
 uero multis scripturarum locis per integra & cap. Responsionis meę
 demonstraui, articulos illos quos negat Cochleus comprehendendi, ex-
 presse esse comprehensos in scripturis, & ideo omnia quæ perinēt
 ad pietatem & salutem fidelium sacris comprehendendi scripturis. Ruit
 itaq; sophistica constructio aduersarij, & stat adhuc incolume & in-
 concussum fundamentum nostrum, quia fundamentum ueritatis est,
 quod permanet in æternum. Nihil his adiungam amplius. Nemo
 enim tam obtusi est ingenij, qui ex pauculis his non intelligat quā
 infeliciter replicarit aduersarius.

Deinde pluribus responderet ad hanc meam uocem plane (ut ait) *Confutatio*
 tragicam, Proh pudor, Quis dæmonū impura illa uerba in os tuum *responsiois*
 impurissimum inseruit, scripturam nusquam dicere tres personas aut *Cochlei ad*
 unam essentiam. His enim meis opponit se, nec solum nec primum *tragicā uo-*
 hæc uerba promulisse. Nam Augustinum his esse usum ante annos *cem Bull.*
 mille. Id ut persua deat lectori, multa ex libris S. Augustini in Repli- *August. nō*
 cam suam describens, transfert. Ceterū minime opus erat integrum *hū facit g.*
 folium oblinere uerbis Augustini, cum quo mihi optime conuenit, *Cochl.*
 & qui hoc non dicit quod aduersarius dixit: neq; ad illum finem di-
 cit, ad quem dixit aduersarius. Vidi & legi iam olim ea, quæ hic im-

H. BVLLINGERI RESPONSIO II.

prudētoribus obrudit lectoribus, ut fucum faciat. Imō illa ipsa quæ nunc profert, non dissimulaui in mea responsione, ac respondi ipsi priusquam id opponeret. Quia uero id dissimulat, & quasi nihil uel uiderit uel audierit, transit, repetam quæ dixi, Nec hic quicquam pro te facit quod S. Augustinus (quem & Vuidesfordus tuus adducit) libro de Trinitate 7. cap. 4. Disputandi, inquit, loquendiq; necessitate licuit tres personas dicere: non quia scriptura dicit, sed quia scriptura non contradicit. Quis enim non uideat S. Augustinum in hoc negotio unice ad scripturas respicere, cum Cochleus perpeuo à scripturis auersus, & ad patres conuersus, ad ecclesiæ & patrum traditionem hanc causam reijciat, Nam & inter alia adhuc significantius loquens Cochleus, Credere nos, ait, tres in uno deo personas, non autem tres deos aut dominos, ex ecclesiæ autoritate aut fide potius, quam ex nullis scripturæ locis habemus. Contra uero S. Augustinus in eodem cap. quod modo citauimus, Certissime, inquit, & DE SCRIPTURIS cognoscitur quod pie credendum est, & aspectus mentis indubitata perceptione perstringitur, & patrem esse & filium & spiritum sanctum: nec eundem filium esse qui pater est, nec spiritum sanctum eundem esse uel patrem uel filium, Et quæ sequuntur. Nec dissentis ab his quæ lib. 5. cap. 5. idem tradidit. Quod si S. Augustinus Cochleus consensuens, diserte diceret nos sacramentum trinitatis & unitatis dei nō ex scripturis, sed patrum autoritate & traditione accepisse ac credere: non possem profecto scripturis usq; adeo claris & euidētibus relictis concedere ad hominem. Arqui cōstruit uir ille sanctissimus totam suam de sancta trinitate disputationē ex autoritate scripturæ canonicæ, cuius præscripuoni præcipit non modo in libro de Trinitate, sed & in alijs suis operibus credere. Vnde nos pie & recte scripturarum autoritatem unice in omnibus appellamus. Hæc ad uerbum sic leguntur in mea Responsione. Ea non iniquo lectori satisfacere, quantum uidelicet obiecta Cochlei atinet, spero.

Quæ ille præterea repetit, postulans ut hæc uocabula Persona, Essentia, & nescio quæ huius farinae reliqua, in sacris expressa ostendā, in Responsione mea, quantum satis est, discussa sunt. Clamat autem me inanissime nugari, & ambagibus uti, nihil pertinentibus ad rem. Cæterum qui mea conulit cum Cochleanis, dudum intellexit, ipsum illa designare, & fœdissime quidem, quæ circa frontem mihi impingit: dicitq; hic maxime uerum esse quod uulgo dicitur, Grandis clamor, rara lana. Proinde indigna sunt quibus multis respondeam.

Bull. in nullo deprehensus errore blasphemus.

Postremo autem magno cum tripudio umbrilem agitrium-phum,

phum, dum me in blasphemo errore deprehensum putans, clamat, Cumq; in oculo meo festucam quaris, in tuo interim grauem & magnum erroris & blasphemie trabem non consideras. Per nouam theologiam tuam de trinitate, extra & citra scripturæ uerba, ita loqueris, Custodiētes ergo patres ecclesiastici, docentesq; æconomie sacramentum, quæ unitatem in trinitatem disponit, tres dirigens, patrem, filium & spiritum sanctum. Tres utiq; confitens, non statu, sed gradu: nec substantia, sed forma. Et cætera. Et paulo post, Dic queso Bullingere, quæ scriptura aut quis patrum, sic loquitur sicut tu hic loqueris: Reuera igitur hæc uerba tua non solū extra & citra, uerumetiam contra scripturam prolata sunt. Ait enim Christus ipse, Ego & pater unum sumus. Et apost. eius Ioannes, Et hi tres unum sunt. Quomodo igitur differunt hi tres, gradu, forma aut specie? Certè apud catholicos hæc non legisti. Ariana enim sunt, Eunomianaq; & Macedoniana. Bona uerba quæso Cochlee, ac puto te sic satis scruisse in me. Nulla enim tibi supersunt atrocita uerba, quæ iam non expueris in me. Quid uero diceres Cochlee, si demonstrarem hanc meam de Trinitate theologiam, non meam esse adeoq; nec nouam, sed longe uetustissimam, uel ante Consilium Nicenum, & priusquam illa Arii, Eunomij & Macedonij nomina portentosaq; hæresum monstrumundo innotuerunt, sic ut ego retuli, esse traditam, traditam uero à patre uetustissimo, eoq; hac in causa catholico orthodoxoq; non heretico? Ac ne diu te suspensum teneam, Tertullianus is est, cuius uerbis usus sum, quæ tu tantopere impetis. Tertullianus inquam, quoniam tu libenter uteris in libris tuis, quem cõmendas & laudas. Lege quæ sunt, q̄ tanta ille contra hæreticum Praxeam scripsit, ac à principio mox libri uerba illa, quæ pro meis tam atrociter flagellas, inuenies. Et ut authoris uerba tibi recitem disputantis contra sectam Patripassianorum, Eximitate se merã, inquit, ueritatem possidere, dum unicum deum non putat aliã credendum, quã si ipsum eundemq; & patrem & filium & spiritum sanctum dicat, quasi non sic quoq; unus sit omnia, dum ex uno omnia, per substantiæ scilicet unitatem, & nihilominus custodiat sacramentum, quæ unitatem in trinitatem disponit, tres dirigēs, patrem & filium & spiritum sanctum. Tres autem non statu, sed gradu: nec substantia, sed forma: nec potestate, sed specie. Et reliqua. Rogo nunc Cochleum, an nouus theologus, an Arianus hereticus, an miser & poeticus theologus sit cum Bullingero priscus ille Tertullianus? Vident iam & intelligunt eruditi omnes, quã fœde impegerit reuera miser sophisticus, & parum in ueterum scriptis exercitatus theologus Cochleus. Sed sat scio ille rogare perget, ubi

H. BVLLINGERI RESPONSIO II.

Quomodo legantur in scripturis illa Tertulliani uocabula? Si nō eadem leguntur, saltem æquipollentia inueniuntur. Neq; ego cum illa producere rem, loquutus sum de scripturis, sed de patribus. Opponit ille celestrem S. Augustini ex lib. de symbolo cap. s. dictum, Non sunt diuersi gradus, ubi est una trinitas & trina æternitas. Qui enim diuersos gradus cōponit, ipse se ab unitate præcidit. Recte sane Augustinus. Ac illa significatione nec Tertullianus usus est, neq; ego ita citauit. Statum ille uocat, quod scholastici substantiam: gradum quod illi notionem: formam, quod illi proprietates: speciem, quod illi habendum uel signa. Id quod ante me annotauit eruditissimus uir Beatus Rhenanus. Proinde non ascendi Cochlee per gradus ad altare dei, ut mea sit uisa turpitude. Vide Cochlee, ne dum limacis in morem, liberius te profers & cochlea concha siue testa, magis atq; magis appareat tua nuditas & imbecillitas.

Post ea repetis rursus tuas illas rēpestiuas de trinitate quæstiones. Tu uideris qua cum religione illas rories inculces. Quod de me conquereris, nihil dum ad eas respondisse, qui interim quauis pica sim loquacior, nihil moror. Aequi lectores sibi satis factum dicunt. Tibi illud uulgare & tritum obijcio, Si limpidam perrexeris ceno aquam spargere, nunquam quod bibas inuenieris.

Ad caput IIII. de articulis contra hereticos de Christo ab ecclesia receptis.



Dixi in responsione mea Cochleum prodigiosas nugæ & stupēda spargere mendacia per ecclesiā, contra Christum & uerbum eius. Ille uero, Si quæram ex te quæ sine illa contra Christum & uerbum eius mendacia mea, quid proferre poteris? Negauitne ego Christum esse consubstantialem patri? Ad hæc facilis est responsio. Non agitur de tua fide quid credas, aut quid non credas, sed agitur de dictis & scriptis tuis, & de eo quid uerbum dei doceat credendum esse de Christo. Et quoniam subinde status obliuisceris, subinde is tibi reducendus est in memoriam. Certamus de eo, An omnia quæ ad ueram pietatem & salutem pertinent, scripturis sanctis comprehensa sint? Id tu ualide negas, ego constātissime aio. Impetis autem mea hoc aritari ficulneo, Christum esse patri consubstantialem aut cœqualem, Mariam esse dei genitricem ac perpetuo uirginem, Christum esse unius personæ & duarum naturarum, Christum habere duas uoluntates in una persona, Christum habere præter diuinū spiritum, rationalem quoq; animā, quæ ab

ab ecclesijs edocti firmiter credimus, & pie asserimus, licet in scripturis nō sint expresse comprehensa, &c. ergo non omnia quę ad salutē pertinent, scripturis comprehensa sunt. Ac reuera euicissis non omnia uerę pietatis & salutis comprehensa esse sacris literis, si contrarium ego ex scripturis demonstrare non pouissem. Demonstrauit autem: proinde nihil euicisti. Quis ergo iam non uideat, quęnam sint illa tua, quę tibi per me obiecta esse usq; adeo doles, mendacia, contra Christum & uerbū eius conficta, imō quis nō intelligat te causā cecidisse? A primo enim exorsus ostendi filium patri consubstantialem siue cōæqualem esse, idēq; testimonijs prophetiis, euangelicis & apostolicis, ex Zach. cap. 13. Ioan. 1. 5. 10. ex Paulo ad Colossi. 1. & Philipp. 2. Quibus & patrum quorundam, Epiphaniij uidelicet, Ambrosij & Augustini manifesta & euidencia testimonia coniunxi. Eodem modo demonstraui & reliquos per te mihi de Christo & matre eius obiectos articulos, in scripturis esse comprehēsos, adeoq; sanctos patres illos ipsos & ostendisse & probasse ex scripturis contra hęreses & hęreticos. Iam si Cochleus ad statum respicere & comminus ferire, non aliena à proposito adferre, si legitime disputare non sophisticari uoluisset, respondisset haud dubie ad illa quę ego pro mea assertione attuli: hoc est, ostēdidisset loca & testimonia illa nihil facere ad rem. Nūc autem quid facit? Narrat mihi nescio quid de uictoria sua à Luthero reportata. Quid uero ad me, quid ad causam nostram facit illis quę tibi cum Luthero litiganda fuit super uocula Homouisionē? Viuit adhuc, ipse respondeat. Curabit pręlia Conon. Fortassis contra ipsum tam elūbia eiaculatus es tela, ut piguerit ipsum quicquam tibi respondere, malueritq; horas suas locare melioribus. Ad mea tu mihi respondisses, siquidem tua defendere, & mea confutare uolueras. Id cum non feceris, neq; unquam feliciter facere poteris, nisi uoluptate sit & scripturam ipsam & omnes syncerioris notę theologos, oppugnare, duo ego tibi extorsi ē manibus. Primum quod disputationis meę caput est, Omnia quę uerę pietatis & salutis sunt, sacris comprehensa esse literis. Secundum, Articulos mihi per te de Christo & matre eius obiectos in scripturis esse comprehēsos, nec extra aut circa scripturas nobis à patribus esse traditos, cum ipsi patres sancti illos ipsos nobis in scripturis ostendā, & scripturis nobis probantes confirmet. Intelligit ex his consilium meum aduersarius, cur de illis articulis scripserim tam prolixè & diligenter, ut non sit illi necesse interrogare, Cur tam prolixè illos contra me defendis? Audiuit causam. Satis hactenus & plus quā satis exultauit Cochleus cum suis, umbratiliq; sese oblectauit uictoria. Omnes illorum disputationis

Cur Bull.
fuisse egerit
de fidei ar-
ticulis.

nes contra nos, imò contra scripturarum absolutam perfectionem, huiusmodi obiectionibus refertæ sunt: quasi scriptura non tradat, quod tamen tradit. Neq; irascetur mihi Cochleus feruide & prolixè agenti negotium non leue, & contra aduersarium sua opinione grauem: meminerit sententiæ ueteris, Oportet reſtudinis carnes aut edere, aut non edere. Fallitur ergo profus, si existimauit illis me ipsi inuidiam conciliare uoluisse. Nihil ipsi concilio odij, constauit sibi ipsi inuidiam, suo uitio & sua culpa, si ipsi parum æqui sunt uiri boni. Libere profecto fateor, merito meo maximo, pluribus fore odiosum, si ea reperirentur in libris meis, quæ in Cochleanis leguntur. Sed, ò deus bone, quàm tragicis traduceremur clamoribus, si nos unquã uel dixissemus uel scripsissemus illos, quos sæpe iam recensui articulos, extra aut citra scripturam traditos nobis esse ab hominibus patribus.

*Inuidiam
conflare.*

*Excusatio
Cochl. uer-
na.*

Purgat se post ista strenue satis Cochleus, sed parum efficaciter: curpit coloribus inductis medicari suæ deformitati, putridamq; structuram suam ornare, uerum nihil hic faciunt colores. Dixit, ait, huiusmodi articulos non expresse comprehendi & explicari in scriptura sancta. Intellego autem illud de uerbo ad uerbum, seu de expressa forma uerborum, quæ certè in scripturis non exprimitur, sed in Consilijs est à patribus contra hereticos pie & religiose concepta, non sanè ex humano figmento (sicuti calumniose imputas mihi) sed ex instinctu spiritus sancti. Hæc Cochlei excusatio est: Rursus autem illi respondeo, me in Responsione mea demonstrasse articulos illos expresse comprehensos esse in scripturis. In eadem diximus & de uocabulis illis & expressa forma uerborum, quàm indignum sit contendere de syllabis & uocibus, ubi de ipsa re bene constat. Proinde nihil pro se dixit miser. His accedit quod ex se fingit à patribus in Consilijs contra

*Vocabula
ex scriptu-
ris à patri-
bus ante
Consilia de
sumpta.*

hereticos illa esse concepta & religiose tradita. Licet enim Consilia episcoporum usa sint aliquot uocibus, quibus reuicerunt uersipelles hereticos, potissimarum tamen usus fuit in ecclesia, priusquam consilia illa coirent. Pastores enim & ecclesiæ fuerunt ante Consilia: neq; hæc fuerunt aliud quàm cœtus pastorum populi. Illi itaq; diuersis temporibus pro rerum exigentia ex scriptura commodas, perspicuas, appositissimæ cum uoces tum sententias collegerunt, quibus res fidei rectè & idonee eloquentes docerent. Atq; priusquam coiret prima inter generalia consilia Synodus Nicena, in omnibus ecclesijs notum fuerunt uocabula Trinitatis & Essentiæ siue Substantiæ: cognitissimum fuit omnibus & decantatum ab ecclesiarum pastoribus, Christum uerum esse deum & hominẽ, patri per omnia cœqualem: eundem esse geminæ, id est diuinæ & humanæ naturæ, in una persona, eundem

eundem esse virginis filium, quæ inde appelletur domini uel dei mater. Cuius quidem rei relucent insignia indicia, & inueniuntur certa argumenta, in illis scriptoribus qui mox ab apostolorum tempore, diu ante Consilium Nicenum scripserunt, sicuti est Ireneus, Tertullianus, Cyprianus, & alij nonnulli. Proferam hoc loco egregium Originis testimonium de adoranda Trinitate personarum, & essentia diuinæ unitate, unde lectores intelligant, ante omnia Consilia, ex scripturis, Doctoribus ecclesiarum petita fuisse uocabula, illa ipsa inquam, quæ aduersarius dicit in Consilijs inuenta esse à patribus. Floruit Origenes, ut est apud Eusebium, anno à nato Christo 232. Mortuus Gallo & Volusiano regnãtibus, sicut testatur H. Contractus, annos natus 69. circa annum domini 255. Præcessit ergo Cons. Nicenum annos 69. Hic ergo Homelia in lib. Numerorum 12. Videamus, inquit, quorum puteorum unum dixerit fontem. Ego puto scientia ingeniti patris unus possit intelligi puteus, sed & unigeniti filij eius agnitio, alius puteus intelligi debeat. Alius enim à patre filius, & non idem filius qui & pater. Sicut ipse in euangelij dicit, Alius est qui & testimonium de me dicit, pater. Et rursus tertium puto uideri puteum posse, cognitionem spiritus sancti. Alius enim & ipse est à patre & filio. Sicut & de ipso nihilominus in euangelio dicitur, Mittere uobis pater alium paraclerum spiritum ueritatis. Est ergo hæc trium distinctio personarum in patre & filio & spiritu sancto, quæ ad pluralem puteorum numerum reuocatur. Sed horum puteorum unus est fons. Vna enim substantia est & natura trinitatis. Et hoc modo non otiosa inueniuntur scripturæ sanctæ distinctio, quæ dicit de puteorum tuorum fonte, sed obseruanter mystica signauit eloquia, ut quod pluraliter dictum est personis, singulariter substantiæ conueniret, &c. Proinde uetustiora sunt illa uerba uocabulaq; quàm quæ referantur ad definitionem Consiliorum: quanquam non negem interim, illa in Synodis siue Consilijs esse usurpata & recepta, sed ad perpetuò non citra aut extra scripturam, sed ex ipsa scriptura. Cochleus putat quidem abunde sibi consultum, & purgatum se purissimè, quod adijcit, Patres non ex humano figmento, sed instinctu sancti spiritus decreuisse, quod decreuerunt. Verum ne sic quidem satis consultum est fidei certitudini, cum in dubium uocari queat, quod dicit illis id instituisse ex instinctu spiritus. In dubiũ aut uocari nunquam potest quod traditum est nobis ex scriptura. Nam constat hæc esse uerbum dei, & instinctum sancti spiritus. Et cur oro tantopere caues Cochlee, ne uspiam concedas articulos illos ex scriptura esse petitos? Monstrum alis haud dubie. Noluisti S. Hieronymus à Ioan-

ne Hierosolymitano episcopo recipere confessionem, qua ferebatur corporum resurrectionem, nisi pro corpore reponeret carnem, quia sensu in confitente dolum. Quid ergo mirum, si non recipiam, nec magnificiam Cochlei purgationem, qua licet articulos illos fidei fatear suggestionem spiritus per pares esse traditos, nullo prorsus humano ex figmento, mirifice tamen & pertinacissime cauet, necubi dicat illos esse scriptura esse peuitos. Senuit forassis se, quam primū id nobis dederit, cecidisse causa.

Liber Cochlei de Christo & contra.

Ac satis alioqui desipuisset, licet nihil iactasset de libro illo suo, quem de Christo, sicut ait, pro & contra, composuit, in hoc, ut ostendat principibus, quanto cum periculo coniunctum sit concedere res religionis ex scripturis uel probare uel improbare. Intelligunt aliorum qui prudentes, quod omnia hominis illius spectent, huc uidelicet, ut a scripturis tanquam dubijs, obscuris & ferè noxijs, ad definitiones, nec scio cuius ecclesie, abstrahat omnes. Interim ut nō uolo fidei nostre sacrosancta capita, quorum uis subiacere libidini, ita fateri cogor, scripturam eum esse, e quo omnia fidei & pietatis petenda, probanda atque improbanda sunt.

Criminatio Cochlei a trox.

Postremo indulget aduersarij genio suo, & accusat me perfidij, qui a diabolo captus, & hæresi implicatus, rectam ecclesie fidem deseruerim, unde non sit mihi ulla pars aut fors in regno Christi. Ad quæ sanè illud exclamare cogor, O infrene os perulans & maledictum. Si unquam dubitasset hoc ultimum esse Cochlei scriptum, hac tantem ueluti nota certissima deprehenderem, nihil me præterea expectare debere. Nam Sphondyla fugiens, pessime pedit. Interea uero gratias ago domino & seruatori meo Iesu Christo, qui non tantum me redemit à potestate satanæ, sed & crucis & opprobriorum ipsius facit participem. Idem me gratia sua hucusque per fidem Christianam in apostolica & euangelica doctrina reinuit, atque ideo & in catholica ecclesia: unde spero me iuxta eius promissiones ueracissimas in regnum eius æternum, ubi hinc soluero, recipiendum. Viderit Cochleus, quomodo pro tantis contumelijs conuictijsque, tanta animi impotentia effusus, rationem redditurus sit iustissimo deo, qui rationem etiam pro quouis uerbo otioso exiget.

Bulling. ad obiecta respondet. Cochl. non respondet.



Ad caput V. de duplici uerbo dei, scripto uidelicet & non scripto.

Emonstrauit Responsonis meæ 13. cap. summam doctrinæ apostolicæ literis abunde esse comprehensam. Id uerbo ualde dolet a duersario, qui tamē nihil habet quo meæ refuter, quam se id mihi non concedere, cum nondū esset cæciter

cauciter probarim. Atqui nesciebam mihi negotium esse cum doctore irrefragabili, penes quem sic Iouis suffragium, unde sufficiat dixisse, Cochleus non concedit, ergo non est uerum. Quare non respondit ad meas illas rationes, quas non uerbosè, ut ille suo more ait, sed effucaciter satis, & uerbis rei non indignis exposuit. Fallitur Cochleus, si nos putat adeo stupidos esse, ut nõ intelligamus quorsum pertineat anxia illa de Verbo dei non scripto disputatio. Saturis suis trossulis consulere, adeoq; quandã quasi diuinitatem conciliare cupit, ut postquam receptum fuerit, esse quoddam uerbum dei non scriptum, ille protinus subinferat, id non posse esse aliud, quã quod ex ore profertur summi pontificis, beatissimi patris, ecclesiarumq; monarchæ, & prælatorum ab ipsius obedientia dependentium: illud deniq; uerbum non scriptum, illud ipsum esse quod in qualibuscunq; Consilijs à Romana sede approbatis, est prolatum, licet nusquam uel scriptum uel pictum quod decreuerunt, reperiatur: adeoq; uerbo dei repugnare impie, qui istorum traditionibus contradicunt. At cum Dauide & Apost. dicimus, Lucerna pedibus meis uerbum tuum, &c. Solus deus uerax, omnis homo mēdax, &c. At meas, ait, obiectiones non dū euacuasti. Quas oro? Quas, inquit, obieci ex Paulo contra contentiosos, qui contempta ecclesiæ auctoritate, nihil aliud, nisi quod scriptum habetur, recipere uolunt. Legatur ergo Responsonis meæ caput 16. & intelligent boni quã uere hoc dixerit aduersarius.

Addit, Obieci tibi uerba propria tua. Audiui. Sed ipsa sese explicant, & nihil aduersario tribuunt. Præterea annotaui quẽdam huius generis in cap. 18 Responsonis meæ, quæ & ipsa ad hanc rem illustrandam faciunt.

Subiungit, Obieci tibi Augustinum, qui aperte dicit ecclesiã quæ *Ad Augustini locum* tradita non scripta tenere. Inde colligit Cochleus, Ergo non omnia scripta ab apostolis. Ego uero contendo omnia ea scripta esse, *ad Ianuam* quæ ad ueram pietatem atq; salutem nostram pertinere uidentur. Doctus *riũ in epist.* ceat ergo nos Cochleus, uel ex Augustino, uel aliunde, quæ nã illa *118. respon* tradita non scripta sint, quæ ad pietatem & salutem nostram perficiendam faciunt. Certè Augustinus non eas traditiones intellexit, quas aduersarius perpetuò traditionum fuco adornat, Missam, Purgatorium, Inuocationem diuorum, Idolorum usum in templis. Quare non addit, quod Augustinus mox appendit, Sicuti quod domini Passio, & Resurrectio & Ascensio in cœlos, & Aduentus de cœlo spiritus sancti, anniuersaria solennitate celebrantur: & si quid aliud tale occurrerit, quod seruetur ab uniueris quacunq; se diffundit ecclesia. Proinde de Ferijs maxime, siue memorijs Christo domino celebra

H. BVLLINGERI RESPONSIO II.

dis, loquitur. At, qui de iisdem disputans Socrates ille Constantino-
 politanus celebris historicus, & D. Ioannis Chrysofomi synchro-
 nus, adde & S. Augustini contemporaneus, inser alia quæ pie & do-
 cte disserit, Quoniam, ait, amant homines huiusmodi celebritates, eo
 quod in eis à laboribus quiescunt, singuli per prouincias sicuti uoluer-
 runt, memoriam salutaris passionis ex quadam consuetudine cele-
 brarunt. Non enim hoc saluator aut nostri apostoli lege prædicauer-
 runt, nec poenam aut supplicium aut maledictum, sicut lex Mosaica
 Iudæis, nobis euangelia aut apostoli sunt minati, sed solummodo in
 derogationem Iudæorum, quod in festiuitatibus homicidium com-
 miserint, in tempore azymorum saluatorem passum, in euangelis
 est relatum. Mens namque apostolorum fuit, non de his diebus sancire
 festiuitatem, sed conuersationem rectam & dei prædicare culturam.
 Mihi ergo uidetur quod sicut multa alia per prouincias ad consueta-
 dinem uenerunt, sic & paschæ festiuitas tradita sit, quod nullus apo-
 stolorum aliquid hinc sanxisset. Hæc ad uerbum huc ex Socrate trans-
 scripsimus: quæ si aduersarius contulerit cum Augustinianis, intelli-
 get quid contra me probarit. Præterea cur id dissimulat aduersarius,
 quod S. Augustinus ubique testatur, nolle ut sibi credatur, nisi id quod
 dixit, uel scripturis prober, uel rationibus probabilibus è scriptura pe-
 titis? Porro ergo minime fuerit satis Augustinum produxisse in aciem,
 nisi ipse sua probarit scripturis aut rationibus è scriptura petitis. Quod
 enim Augustinum tanti facio, & toties in meis cito, hinc est, quod il-
 le simplicitati studens, præ cæteris efficaciter & perspicue de rebus ma-
 xime utilibus disserit, & pleraque sua ex scripturis ducit, & scripturis
 confirmat. Cæterum ubi uideo scripturam de aliqua sententia aliud
 pronunciare, aut ex scripturis aliud posse, citra fidei dispendium, de-
 monstrari, quam in Augustino lego, scripturis accedo, ab Augustino
 discedo. Nec puto id mihi quenquam uitio uersurum. Idcirco nihil
 contra me, qui omnia mea firmissimis muniui scripturis probasset
 Cochleus, licet per omnia ipsi suffragaretur S. Augustinus.

De ferijs
 Christiano
 sum.

De scriptis
 Augustini.

Concinnata
 uerborum
 Pauli 2.
 Theff. 2. ex
 positio.

Quæ de sensu uerborum Pauli 2. Theff. 2. adeoque de apostolorum
 traditionibus uiuis & scriptis disputauimus per integrum ferè cap. Res-
 ponsionis meæ 17. scripturis sic muniui, ut satis defensa tutaque, pro-
 fus nihil metuant aduersarij sophismata. Produxit sanè contra me
 Theophylactum, qui locum Pauli aliter exposuerit, dixeritque nil ul-
 tra requirendum ubi audierimus aliquid nobis traditum esse ab ec-
 clesia. Sed non dicit aduersarius de qua ecclesia hoc ipse intelligat,
 & de qua loquutus sit Theophylactus. Verum utcumque hoc habeat,
 licuit perpetuo omnibus pijs, citra fidei & pietatis dispendium, a præ-
 scorum

teorum etiam interpretum enarrationibus, maxime si quid scripturę & pietati uideretur inuentum congruētius aut simplicius & minus laboriosum aut coactum, dissentire, nedum à Theophylacti, qui se-
rè numeratur inter neotericos.

Traditionem apostolorum de Cœna domini non aliam fuisse q̄ Traditio
eam ipsam, quod scilicet atinet substantiam, quam scriptam apostoli apostolorū
reliquerunt, dixi & adhuc dico. Quia quæ pro confirmatione sen- de Cœna
tentię meæ attuli, nondum dissoluit Cochleus. Ex Augustino quæ domini.
dam adduxit, qui hæc S. Pauli uerba, Cætera cum uenero disponam,
sic interpretatus sit, quasi torus ille Romanus missandi ritus ordina-
tus sit ab apostolis. Verum ut maxime concedam S. Augustinum de
iis ritibus loqui, de quibus intelligit Cochleus, suadet tamen lectori
eum sensum quem affert, renitentem non cogit rationibus efficaci-
bus, cum aliter possint apostolica uerba exponi. Et cur hic nō audit
Cochleus suum illum Theophylactum hæc Pauli sic enarrantem,
Aut enim hoc loco de alijs nonnullis apud hos delinquentibus dis-
ferit, qui uiuendi modo indigeant. Aut eadem de re mentionē nunc
facit. Perinde ac si dicat, Verisimile est nonnullos ad hæc excusatione
usuros, uelim tamen interea seruari quæ retuli. Quod si quis aliud
quidpiam habeat, quod sit dicendum, in meum differat aduentum.
Et reliqua. Nihil autem necesse est hominum asserere cōiecturas, ubi
suppetunt non obscura scripturæ argumenta. Quid enim clarius est,
quàm quod Paulus dicit ea se tradidisse Corinthijs quæ acceperit à
domino? Hinc nos duo colligimus. Primum, Nō aliud de hoc sacro
tradendum esse ecclesiæ, quàm quod tradidit dominus, eiusq; tradie-
tioni non est contrarium. Sacramenta enim nec debent nec possunt
ad alium authorem quàm deum, referri. Secundum, Corinthios iam
dudum habuisse quæ accepta à domino tradiderat Apostolus. Inde
autem consequi oportet Apostolum his uerbis, Cætera cum uenero
disponam, non nunc demum loqui de tradēdis quibusdam ad Cœ-
næ mysterium pernecessarijs, sed de alijs quibusdam. Clare enim tes-
tatur se tradidisse quæ acceperat. Nec uerisimile est Paulum loquus-
rum esse de ordinationibus suis, hoc est à se iam primum inuētis aut
inueniendis, qui tam sancte testatur se ea tradere & tradidisse, quæ ac-
cepit à domino. Porro errat toto cœlo Cochleus, si putat per Augu-
stinum ritum illum & rationem missandi, quæ hodie in usu est, con-
firmari. Qui enim historias & ueterum monimenta euoluerunt, &
cum ijs rationem missandi hodiernam composuerunt, sciunt ritus
uestros & rationem celebrandi, hodie & aliam & multo auctiorem
esse, quàm fuerit apud præcos. Cur autem mihi adeo irascitur aduer-

H. BVLLINGERI RESPONSI O II.

Sine cere- farius, quod dixi apostolos & uiros apostolicos sine pompa, sine ap-
monijs sim- paratu & ceremonijs cornam in ecclesijs celebrasse simplicissimes: Ira
plicissime scatur suis hominibus, qui idem ante me dixerūt, nempe dominum
celebrata & apostolos simplicissime ad orationem dominicam celebrasse Cer-
cena in pri- nam. Durandum puto Albertum & reliquos huius generis. Haufe-
mitina ec- runt hoc haud dubie ex S. Hieronymo & Gregorio. Quorum ille 3.
clesia. lib. contra Pelagianos, dicit dominum docuisse apostolos, ut oratio-
 nem dominicam dicerent super sacrificio corporis. Hic autem libro
 epist. s. epist. 7. Mos, inquit, apostolorum fuit, ut ad ipsam solummo-
 do orationem dominicam oblationis hostiam consecrarent. Irasca-
 tur historicis & chronographis, qui diligenter indicant quid quisq;
 Roma. pontificum Missæ adiecerit, quomodo & quibus authoribus
 ceremoniæ auctæ sint.

Dionysius
 Ariopagi-
 14.

Inuerecūda meæ linguæ imputat, quod Canones apostolorum,
 Dionysij libros, Clementis & Anacleti epistolas, eo loco habere, &
 tanta cum reuerentia adorare nolo, quo ille habet, quantaq; adorat.
 Ego uero nihilominus cum diuino uate clamo, Ad legem & testi-
 monium: & cum Paulo, Omnia probate, quod bonum fuerit, tene-
 re. Neq; solus de illis dubito scriptoribus. Dubitauerunt ante me pij
 & eruditi uiri, nec suis carent rationibus, quas nondum dissoluerūt
 Cochleo longe eruditiores. Nec hic mihi quicquam adhuc respon-
 dit ad mea quæ de ijs obiter annotaui in Responsonis meæ capite
 17. & 20.

Ad cap. VI. De sacrificio Missæ pro uiuis & mortuis.



T cum ad omnia mea Cochleus frigide imò nihil re-
 spondet, ad capita tamen, quibus ab ipso prouocatus, de-
 monstro Missam non esse sacrificium pro peccatis uiuo-
 rum & mortuorum, respondet frigidissime, ut præstaret
 illum in uniuersum tacuisse. Ita enim multi crederent ipsum respon-
 dere posse. Mirum tamen non est hic obstupescere, spiritusq; uertigi-
 nis rotari omnes Missæ defensores. Nam claritas, maiestas, uirtus &
 efficacia sacrificij Christi semel peracti in cruce, ita percellit oculos et
 ingenia omnium aduersariorum, ut etiam in ipsa palpitent meridae.

Nullus pro
 sacrificio
 Missæ lo-
 cos protu-
 lit Cochl.

Principio autem insignem prodit impudēciam aduersarius, dum
 sibi graulatur de uictoria à me reportata, qui non potuerim unum
 locum scripturæ pro assertionē personarum in trinitate, &c. profer-
 re: cum ipse interim multò plus quàm X. locos pro sacrificio Missæ
 protulerit. Nam utrunq; falsum esse, probāt utriusq; libri. Neq; enim
 unquam

unquam uel unum protulit scripturæ locum, probātem Missam esse sacrificium pro peccatis uiuorum & mortuorum. Congerit quidem non paucos, sed ad suum illud infelix institutum detortos. Eius generis illud est, quod in hac ipsa Replica probare & ostendere uolēs, sacerdotes papisticos sacrificare, illud Pauli adducit, Omnis pōtifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. Non enim uidit miser Paulum illa aptare Iudaicis sacerdotibus. Deinde aptare Christo, & per collationem ostendere quod ipse quoq; obtulerit pro peccatis, quando sacerdos sit. Nunquam Paulo uel per somnium uenit in mentem, quod aduersarius ipsum sentire scribit. Præterea nunquam negaui sacerdotes, ecclesiæ ministros, sic sacrificare, sicut sacrificat ecclesia, quæ sacrificat deo laudes: sed pretio conducta pro alijs sacrificia odi, & sacrificia pro peccatis, & quod sacerdos Missam celebrans sacrificare dicitur, laicus autem communionem eandem percipiēs, non sacrificare putatur. Nec minus uiolenter detorsit & sequētem Pauli locum, Qui altari deseruiunt, cum altari participant. Disputat enim de stipendio ministris euangelij pendendo, aduersarius trahit ad sacrificium sacrificantem celebrantemq; Missam. Eius generis sunt & alia huius hominis argumenta, cassa quauis nuce uiliora: quæ tamen clamoribus mox & iactationibus dignis exornat emblematis.

Dicit hic quædam de meo nescio quo stratagemate ingeneroso, ac repetit multoties se certamen obtulisse meæ factionis hominibus, pro ueritate, deposita etiam uita, sub deputandis à Cæs. & Principib. Romani imperij iudicibus. Mihi uero uidetur aduersarius illa iactare frustra & uanissime. Nam ut de iudicibus deputandis nunc nihil dicam, quid oro necesse est uitam obiectare discrimini, cum citra uitæ periculum certare liceat, si possit & libeat? Nam ut multos alios transeam, obieci ego Cochleo argumenta XVII. quibus ostendo Missam non esse sacrificium pro peccatis uiuorum & mortuorum. Hæc duntaxat erroris reuincat. Respondeat ordine ad singula, sicuti ego illi ita uolenti, ac postulanti ordine ad singula respondi. Agat calamo, non coactus aut uinctus, sed liber ac alacris. In cauea enim minus bene canit luscinia.

Prouocatio Cochlei in epistolam.

Quod ad statum atque controuersie constitutum inter me & aduersarium, intelligo ex illius uerbis me non exacte satis fines papisticos circa Missam enumerasse. Si quid autem hic peccaui, veniam mereor. Nam dolo malo non feci: neq; unquam ab ullo unctus episcopo sacrificium obtuli, Missamue (ut dicitur) celebraui. Quid quod aduersarius abude sciat, quod meis deesse uideret. Offerimus, inquit,

Status disputationis.

H. BVLLINGERI RESPONSI O II.

non solum pro peccatis, uerum etiã pro pace & unitate ecclesiæ, pro spe salutis & incolumitatis nostræ, pro diuinæ protectionis auxilio, pro omnibus bona nobis facientibus, atq; etiã pro omnibus in Christo quiescentibus, ut indulgeat eis deus locum refrigerij, lucis & pacis. Etiam si tibi & alijs Thytiomachis ista rumpantur. Dignam profecto te uocem & acclamationem, post necessariam rerum pulcherrimarum enumerationem, edidisti. Expectauimus canonicarum scripturarũ testimonia, exempla deniq; Christi & apostolorum, sed maledictionem pro benedictione audimus. Relegat me ad suam illam nuper, ut ait, editam confessionis & apologiæ Augustanæ discussionem. Quoniam uero illam nondũ uidi, nec aliud cogitare possum quàm Cochleum ubiq; sui esse similem, uereor ne multa dicens, nihil dum dixerit. Nam quàm segniter & inepte ibi maxime disputet, ubi rei nodus ueritur, ex ijs quæ sequuntur potest intelligi.

Missam nõ
iustificare
dicit Coch.

Ac in limine quidem primo impingēs, uelut in porta cantherius, supra modum se torquet aduersarius, lupumq; quod dici solet, auribus tenens, primo quidem negat hominem iustificari per Missam. Mox tamen addit Missam nihilominus offerri pro peccatis. Rursus autem & hoc declarans, Dico sanè Missam pro peccatis recte offerri, sed addo, iustificationem seu remissionem peccatorum prius querendam esse per salutare sacramentum pœnitentiæ. Et cœtera. Vide quæ so lector, quantopere agitet atq; diuexet homines illos turbulentum illud œstrum conscientiæ. Adferunt ipsi suis manibus gladium nobis, quo iugulentur. Si enim non iustificat Missa, eadem non purgat peccata, nequit ergo sacrificium esse pro peccatis. Nam iustificatio remissio est peccatorum. Et sacrificium peccati expiatio siue purgatio est. Rursus si per salutare pœnitentiæ sacramentum contingit peccatorum remissio, qui dorõ confert Missa? quis est effectus & usus sacrificij Missæ? Vide obsecro, quò ferantur miseri isti rixatores ac logodædali contra semetipsos. Ita defendunt Missam, ut primi omniũ ipsam infament, euacuent atq; subuertant. An non satius erat simpliciter & pure fateri, sacrificio Christi in cruce per fidem iustificari nos, & remitti nobis peccata. Fidem autem hanc exerceri Cœna domini, quæ fidei seruit & adminiculatur. Nam & Abrahamum legis gratia dei per fidem prius iustificatum quàm circumcisum. Circumcisionem autem accepisse signaculum iustitiæ fidei. Ac receptissimũ est non dispensari esse sacramentorum rationem.

Simili prorsus ineptia & uaniloquio planè pudendo uitur & in sequentibus miser. Demonstranti enim loca scripturæ, per aduersarium adducta, referri ad unicũ Christi in cruce perfectũ sacrificium, &

& non ad sacrificium Missæ, in hæc uerba responderet, Quantum ad rem sacrificij atinet, unicum est in cruce & in altari sacrificiū, unum inquam & idem corpus Christi utrobique oblatum, sed in modo sacrificandi est differentia. In cruce enim oblatum est pœnaliter, per mortem corporalem. In altari autem offertur mysterialiter, per mortis & passionis memoriam. Hæc ille. Illa autem est egregia istorum ho- *Cōfutatur*
 minū theologia, & istiusmodi confictis distinctionibus *in uerbis im*
 ponunt simplicioribus. Nisi uero mente careret aduersarius, auribus *Cochlei dis-*
 & oculis, intellexisset iamdudum quod sibi ipsi contradicens nobis *simctio in*
 subscribat. Quid enim nos aliud dicimus, quàm Christū non offerri *modo sacri*
 amplius, sed oblationis siue passionis celebrari memoriam? Intelle- *ficandi.*
 xisset putida illa sua commenta iamdudū confutata esse in Respon-
 sione mea prima. Quia uero hoc dissimulat, quæ ibi dixi, hic repeto,
 Quod Cochleus de suo asuere poterat, Corpus Christi per myste-
 rium & hostiam incrementam quotidie offerri pro peccatis, id est pro
 expiatione peccatorū tam uiuorum quàm mortuorum, id suffulus
 apostolicis scriptis ita dissoluo. De expiatorio siue propitiatorio sa-
 crificio nobis sermo est. Dicitis enim Missam offerri pro peccatis ui-
 uorum & mortuorum. Nequit autem mysticum & incrementum sa-
 crificium expiare peccatum, quod non nisi sanguine & morte expia-
 tur. Paulus enim, Vbi testamētum est, inquit, mors intercedat necesse
 est testatoris. Nam testamētum in mortuis ratum est. Item, Absq̃ san-
 guinis effusione non fit remissio. Vnde & Ioan. apostolus, Sanguis,
 ait, Iesu Christi filij dei emundat nos ab omni peccato. Si ergo incre-
 menta & mystica hostia est Missa, profecto expiatoria non est, per quā
 remittuntur uiuis & mortuis peccata. Nam si expiatoria est, cruenta
 est. Alterum ergo ē duobus eligat sibi Cochleus. Aut fateatur in Mis-
 sis peccata non remitti, aut cruentam hostiam esse Missam. At si pec-
 cata uiuis & mortuis Missæ sacrificio non remittuntur, mentiti sunt
 Papistæ, qui auditoribus Missæ promiserunt peccatorum remissio-
 nem. Si uero cruenta est hostia Missa, denuo, imo sæpius mactatur
 immortalis & in gloria sua regnans dominus. Id quod absurdissim-
 um, & à cōmuni sensu alienissimum est. Proinde suo semetipso
 gladio iugulant papistæ, dū glossemata confingunt, quæ repugnan-
 tia quadam se ipsa subuertunt. Hæc inquam ad uerbum ex scripturis
 in prima mea Responsione Cochleo obieci. Ad ea in Replica hac
 sua respondisset, si legitime disputare uoluerat: iam uero id pro solu-
 tione regerit, quod iam olim confutatum est, & quod ipsi fuerat pro-
 bandum: pro more utiq̃ solito, petens principium ineptus sophista.
 Porro ne quid hic dissimulem prorsus, & ne queratur aduersarius

H. BVLLINGERI RESPONSIO II.

Cōfutatur quod Cochleus dicit sacrificio Missæ pœnā remitti.

suam responſionem nō plene per me esse expoſitam, audiamus quō malagmate miſer laboranti Miſſæ cupiat medicari. Verba hominis hæc ſunt, Nos argumenti tui cornua facile per diſtinctionem conſringere poſſumus. Alterum, inquis, è duobus eligat ſibi Cochleus: aut fateatur in Miſſis peccata nō remitti, aut cruentam hoſtiam eſſe Miſſam. Reſpondeo igitur tibi breuiter, primum uerbis meis, dein de uerbis S. Ambroſij. Et paulò poſt, Non doceo ut in peccatis ſcienter conſtitutus, uel Miſſam celebret uel ſacramentum accipiat ad accipiendam remiſſionem peccatorū: ſed probet antea ſeiſum, & per pœnitentiæ ſacramentum abſolutionem quærat, ut abſolutus per ſacerdotem à culpa, per Miſſæ deinceps ſacrificium à pœna quoq; peccati releuari mereatur. Hæc Cochl. ſunt, quorum hæc ſumma eſt, In peccatis duo conſideranda ſunt, Culpa & Pœna. Iam à culpa abſoluit pœnitentem ſacerdos, à pœna autem releuat ſacrificium Miſſæ. Et hæc diſtinctione conſregit, ſi dijs placet, ſtructuram argumentationis meæ Cochleus. Rident ad hæc omnes noſtri, ſat ſcio. Tui ride re non poſſunt, ſed iraſcuntur magis, quod ineptijs tuis totum negotium reddis ſuſpectum. Quod enim obſecro è duobus cornibus argumenti mei inſregiſti? Illudne? Cruentam hoſtiam eſſe Miſſam, ſi offertur pro peccatis? Nequaquam. Alterumne, Peccata Miſſis nō remitti, ſi non ſit hoſtia cruenta? Ne hoc quidem. An enim non ſacrificat pro peccatis, qui non pro culpa quidem, ſed ut pœna trãſferatur ſacrificat? Qualis uero remiſſio eſt, qua condonatur offenſa, reſeruat autem mulcta? Maior & plenior uideretur eſſe remiſſio qua remittitur pœna. Vnde conſequens eſt ex tua ſententia, in Miſſa plenius remitti peccata quàm in pœnitentia. Quid ergo reſpondiſti? Verba profudiſti ſine authore ex remetiſſo, nullis ex ſcripturis. Nebulas offudiſti ſpectantium oculis, adeoq; lutum purgati luto. Non ignorat aduerſarius, quãti apud nos fiat illa diſtinctio ſua, qui didicimus ex ſcripturis quod credimus & conſitemur, Chriſtum Ieſum dominum noſtrū fideles morte ſua in cruce pleniffime & à culpa & à pœna abſoluiffe, adeoq; utrunq; nobis gratia dei per fidē eſſe remiſſum. Iſaias enim in cap. 53. Vere læguores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Ipſe eſt uulneratus propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum (quod enim nos pro noſtris debebamus ſcleribus ſuſtinere, ille pro nobis paſſus eſt) & liuore eius ſanari ſumus. Omnes nos quaſi oues errauimus, unuſquiſq; in uiam ſuam declinauit, & poſuit dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum. Item, In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit.

Iam

Iam & dominus ipse apud Ezechielem, Si impius, inquit, ab impietate sua recesserit, omnium iniquitatum eius non recordabor. Dauid quoque, Beati, inquit, quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Quæ explicans S. Augustinus Enarratione 2. Beati sunt, inquit, non in quibus non sunt inuenta peccata, sed quorum tecta sunt peccata. Cooperta sunt peccata, & tecta sunt, abolita sunt. Si texit peccata deus, noluit aduerrere: si noluit aduerrere, noluit animaduerrere: si noluit animaduerrere, noluit punire: noluit agnoscere, maluit ignoscere. Et reliqua. Paucis autem August. & culpam nobis & pœnam remitti docuit per gratiam dei. S. Paulus ad Romanos 5. cap. significauissime demonstrat per Christum fidelibus gratis & culpam & pœnam condonari. Ex quo & alia permulta eademque eius deuissima testimonia, si necesse esset, proferre possem ad hoc nostrum institutum apertissima. Huc pertinet & adamantinum illud fundamentum quo nitimur, quo & Cochlei distinctiones et uerborum nebulas in sua hac Replica repetitas dispellens, in prima mea Responsione his uerbis collocaui, Ibi cessant sacrificia, ubi peccata plene expiata sunt & remissa, dicente Apostolo, Vbi peccatorum est remissio, ibi non est amplius oblatio pro peccato. In nouo autem testamento ac in morte domini Iesu est plenaria omnium peccatorum remissio. Id quod cum prophetis testantur sancti apostoli omnes, ergo in nouo testamento nulla est oblatio pro peccato, sed memoria & recordatio duntaxat semel oblata in cruce sacrificij. Hæc in prima responsione mea ad te dedi Cochlee. Quibus satis respõsum arbitror ad distinctionem tuam ex teipso confictam, ineptam, ridiculam & elumbem.

Ad uerba S. Ambrosij respondeo, Principio posse quidẽ elici sensum ex uerbis eius non malum, & qui parum tribuat instituto aduersarij. Quoniã autem pridem dixi aduersario, Vt in hominibus non gloriamur, ita nolumus ulla premi hominum ullorum autoritate, scripturæ innuimur, ad scripturas canonicas, omnia uitæ & pietatis comprehendentes, appellamus: non est quod aliud à me expectet. Sciunt item eruditi omnes quantum intersit inter genuinos & notos S. Ambrosij libros. Præterea cum aduersarius nondum ad loca scripturæ, per me adducta, respondit quicquam, eaq; nihil meo instituto seruire ostendit, non possum ego à scripturis ad Ambrosium (ut maxime donem illum cum aduersario facere) deficere. Verum non libet tibi ad argumenta mea, Coch. utpote prolixitatis nugas respondere, præsertim quod ad ea iam olim ac frequenter responsum sit. Proculdubio iuxta regulam sophisticam, Quod dissoluere nequis legitime, elude, & dic iam olim esse dissolutum, & id quidem esse minutius

Ad Am
bro. de sac
ramentis.

quàm quod responſionem ullam mereatur. Sic ſatis bene procedunt res Cochleo.

D. Vuolph Gloriat̃ aduerſarius, ſe nescio quã contra Muſculum meum (ſic *gãgus Mu* enim ait) pro Miſſã ſacrificio ſcripſiſſe. Ac reuera meus eſt uigilan-
ſculus. tiſſimus ille, illuſtris Auguſtanã Vindelicoꝝ eccleſiã paſtor, D. Vuolph. Muſculus, egregie mihi charus, propter eruditionem præſtantiſſimam, ſuauiſſimamq; morum & uehemens pietatis ſtudioſum. Is reſpondebit haud dubie aduerſarij libro, ſiquidem dignus uidebitur cui reſpondeat, ut non magnopere meis hic opus ſit laboribus. Habet D. Muſculus egregia ſua ſibi à domino cõceſſa dona, quibus haſtenus non ſine magno fructu uſus eſt in eccleſia domini, nihil ergo hic quoq; negliget, quod modo ad utilitatem eccleſiã pertinere uidebitur. Dominus ipſum perpetuò in uijs ſuis dirigat, Amen.

Quod ſacrificiũ Cochleo acceptiſſimum. Inter alia conſpuit & me & omnes unici ſacrificij cõceſſores conuiuijs exquisitiſſimis. Impingit enim nobis blaſphemias, abnegationes Mamaluchicas, & ſi quid habet atrocius. Deinde ualde impatienter miratur patientiã præſidium ac magiſtraus per Germaniam, qui ſtupida negligentia (ſic ait) uel impia conuiuentia, nobis contra Miſſas agere permittunt, nec ullo zelo dei & eccleſiã commouentur ad exemplum Moſis, Phinees & Mattathiã. Cãterum hic ſibi excidit, furore ſuperante, uotaq; ſua, cupiditates & conſilia ſua effudit, toti orbi declarans, quodnam illi acceptiſſimũ foret ſacrificium, ſi uno uidelicet in rogo cremaremur omnes. Hęc ſcilicet eſt modetiſſima theologo digna. Huiuſmodi cõſilijs & ſuggeſtionibus animati multi reges, principes & proceres, in conſeſſores Chriſti domini regis & ſacerdotis unici, grauiter ſæuiunt igni & ferro. Sed uiuit, qui redemit nos. Vidit apoſtolus Ioannes ſubter altare animas interfectorũ propter uerbum dei & propter teſtimonium quod habebant. Audiuit illos clamantes, Vſq; quo domine, qui es ſanctus & uerax, nõ iudicas & uindicas ſanguinem noſtrum de hijs qui habitant in terra? Mox tamen dictum eſt illis, ut requieſcerẽt adhuc tempus modicum, donec complerentur conſerui eorum & fratres eorum qui interficiendi eſſent ſicut & illi. Idem uidit beſtiam & reges terrã & exercitus eorum congregatos ad pugnadũ cum eo qui albo inſidebat equo, & cum exercitu eius. Sed protinus apprehenſa eſt beſtia cum pseudopropheta & complicitibus, uiuũ coniecti ſunt in ſtagnum ignis ardens ſulphure. Vide ergo quid agas Cochlee. Breue eſt tempus. Alioqui alterum pedem in cymba Charontis habes.

Ad

Ad caput VII. de libris Canonici & uarijs ex Hebræo uersionibus.



Veritur rursus nihil dum per me ad graues eius quæstiones esse responsum. Quare si ulla alia prodiit se egregie qualis sit. Legant autem qui uolunt cap. Responſionis meæ 2. & 4. & intelligent omne sanctorū iudicium de Canoniciſ literis ex ipsis natum esse sacris literis. Cochleo nihil satis est, qui tamen subinde de proluxa mea responſione conqueritur, ut reuera declaret se ipsissimum esse Archytræ crepiaculū, qui cum multis possit certare Citerijs.

Adduxi sententiās de libris canonicis patrum quorundam, Origenis, Melitonis, Hieronymi, &c. nō in alium finem, quam ut diluam suspicionem qua nos aduersarius grauare uoluit, quasi in numerandis canonicis libris Iudæos, non Christianos, sequamur. Iste benedicta peruertens, statimq; more suo transferens, ideo adductos interpretatur, quasi horum testimonio probare uoluerim, libros hos esse canonicos. Versute enim & maligne, Sed eorum uerba, inquit, non habentur pro canonicis scriptis. Hæc scilicet hominis ingenuitas est.

Canonici libri secundū sententiam Christianorum annuamurati.

Quid uero ijs responderi oporteat, qui negant canonicos libros à suis scriptos authoribus: aut cur 22. Veteris testamenti libri magis canonici sint, q̄ reliqui, quantum satis est adumbrari & in 2. ac 4. cap. Respon. & in alijs libris meis. Frustra itaq; multas enumerat quæſtiones aduersarius, quibus nihil dum fit per me respōsum. Coniungat eas cum illis, quorum meminit Apostolus 1. Timoth. 6. & quiescat.

Quid uero mirum si præceptum Pauli de uelâdis mulieribus numerem inter traditiones ecclesiasticas, licet in scripturis comprehendatur, præsertim cum illas non separem, aut diuellam à scripturis & apostolorum traditionibus: sicut in Responſione abundantissime declarauit. An non obseruauit pleraq; quæ eo loci produxit Apostolus, sumpsisse ex principio Geneſeos? Verum à laso rixa quæritur.

De uelâdis mulierib.

Differui de die Dominica 15. cap. aduersarius aut̄ quasi nihil eius uiderit, quæſtionem reneſcit. Sed & festorum Christi domini mentionem facit. De quibus modo quædam annoiaui ex Socrate Constantinopolitano. Vbiq; queritur me satis proluxe scribere, interim tamen multa interrogat, ac proluxū esse cogit. Certe nihil aliud ubiq; quam calumniandi occasiones quærit.

De Dominica.

Quæ de uersionibus è Græco & ex Hebræo attuli, sanis firmistq;

H. BYLLINGERI RESPONSIO II.

Quaestio de Coruo ex arca emissio. muniui rationibus ac testimonijs. Quas si ponisset, dissoluisset haud dubie, nunc digito extremo non attingit. Obijcit Coruum Noe emissum ex arca, dignum se profecto exemplum. Coruum inuenit expressum in scripturis, trinitatem adorandam personarum in una dei essentia expressam in scripturis inuenire haecenus non potuit. Ac mire ea in re garrulus est. Narrat enim quosdam interpretes sensisse coruum rediisse emissum: quosdam ita interpretatos esse locum Moysi, ut appareat illos sensisse coruum nunquam rediisse. Urget ergo diligenter, ut quam lectionem ego sequendam esse putem, fatear. Paucis dicam, Hebraicam. Ea sic habet, Noe emisit coruum, qui exibat & redibat, donec siccarentur aquae super terram. Videat autem ut loquendi genus recte intelligat. Quod enim dixit, huiusmodi est, Coruus emissus uolantibus incertis huc illucq; uolando, errauit in montibus, donec siccaretur terra. Nunquam ergo rediit. Quibus uisum est aliud, licet & ijs pro se dicere causam. Quid autem officit pietati & fidei, obsecro, si rediit in arcam coruus? Quid rursus pietatem & fidem iuuat, si nunquam rediit? Quod ergo tantopere hic clamitat, An nihil putas distare inter Est & Non, & c. illud domini contra pharisaeos pronunciatum reducit in memoriam, Duces caeci, excolantes culicem, caemelum autem glutientes.

D. Chiuonradus Pellicanus.

D. Chiuonradus Pellicanus reuera mihi cognitus est, & egregie charus. Nam est praceptor meus, frater & symmista, conciuis, amicus singularis, & fidelis compater: quem merito propter insignem pietatem & eruditionem magnifacio, ac reuerenter colo. Qui tamen si alicubi commendat uulgatam editionem, quam & ego nunquam spreui, aut spernendam docui, eandem tamen non sequitur ubiq; & in omnibus. Nec tribuunt mihi plus nostri, quam Pellicano in peritia lingua Hebraeae. Nunquam quicquam mihi ipsi tribui uel in materna lingua, tantum abest ut uel tantillum mihi tribui cupiam, aut attributum recipiam agnoscamue in alienis. Non sum peritus, magister, doctor, aut professor, uel Graece, uel Hebraeae linguae, sed discipulus & studiosus, adeoque fautor linguarum sacrarum. Quid autem obijcit mihi in hac causa Pellicanum praceptorem, cum idem ille mecum sentiens, confiteatur libere & ingenue ex ipsis Hebraicis & Graecis fontibus ueritatem lectionis sacrae esse petendam?

Editio Latina non conuenit per omnia cum Hebraeo.

Indignum aduersario uideretur quod scripsi uulgatam Latinam editionem non per omnia congruere cum ueritate Hebraica. Adijcit, Sed nihil probas. Cur autem probationem operosam requirit, ubi res probanda tam est perspicua & certa, ut nemo id neget, nisi qui omnia negat. Conferatur primum uulgata editio cum Hebraica ueritate

ritate, & deinde proferatur sententia. Excutiantur illa quæ S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis & in Commentarijs ad prophetas scripta reliquit, deinde proferatur sententia. Legat qui uelis eiusdem uilem libellum de Optimo interpretandi genere ad Pammachium, deinceps iudicet. Aduersarius perpetuo quæstiones necit operosus. Quibus cum respondeo paulò copiosius, accusat & uinuperat ille prolixitatem. Cum paucis ad eas respondeo, uel, quod nihil ad rem pertinere uideatur, perstringo duntaxat, filerium aut breuitatem idem rursus fycophanticis traducit clamoribus. Quid agas obsecro, quod hic homo non calumnietur? Idem scribere audet nihil dum sibi esse responsum ad ea quæ obiecit mihi de Biblijs Hebraicis, à 1500. annis deprauatione Iudæorum corruptis. Fortassis arbitrat omnes Cochlei in morem uisitare lolio. Legant qui uolunt caput Responsonis meæ 22.

Quid autem facit ad translationem, quod S. Paulus ad Roma. 3. quibusdã testimonijs usus est, quæ apud Hebræos in 13. Psalmo non inueniuntur? An ne Paulus dixit se testimonia prolaturũ ex Psalmo decimotertio? An non dixit, Sicut scriptum est? Recte ergo S. Hieronymus Præfat. in lib. Comment. ad Isaiam 23. ex pluribus scripturæ locis contextum docet, indicatis etiam sententijs singulis ubi apud Hebræos inueniuntur. Quod si ille Cochleo nondum satisfecit, mirari profecto cessabũt, cur ego ipsi nunquam faciam satis. Sed id ex eo est, quod stolido homini sua placent nimium, & quod libenter priusquam mactarit, excoriat. Aut quid oro ad translationem illud facit, quod idem Apostolus magorũ nomina ponit, quæ non leguntur posita apud Hebræos in Exodo? An, inquit, expunges ea, eo quod in Hebræo non reperiuntur? Non expungam. O calumniandi studium ingens. O cæcum pectus, ò mentem Cimerijs atriorem tenebris.

*Responso
ad duo loca
ca S. Pauli.*

Post hæc destomachatur & inuehitur dissimulato furore in scurrilem meam dicacitatem, inter alia me non iam hæreticum, sed hæreticissimum appellans. Nolo id excipere impotenti recriminatione. Malo ut lector ipse iudicet collatis & meis & aduersarij libris, quis nostrum scurræ, maledici, & uirulenti hominis titulos mereatur. Ab inuente ætate odi scurrilem dicacitatẽ, semper delectatus sum salibus, sed eruditis & minime impuris aut obscænis: nec nigro Momi, sed candido Mercurij sale tinctis. Sed uide tu interim hominis modestiam, sermones sale conditos & pudorem. Parum esse putat si me hæreticum appellet. Nam atrocius quiddam addit, & criminatur hæreticissimum. Nolo tamen par pari referre. Satis me repurgauit ab his,

*Scurrilis
dicacitas.*

H. BVLLINGERI RESPONSIO II.

& huiusmodi furiosi & maledici hominis criminationibus cap. Responſionis meæ 24. ad quæ ille etiamnum ne uerbum quidem reſpondit.

De inter-pretibus a-liquot Græcis. Porro multis ex Epiphanio exponit mihi, quales fuerint ueteres interpretes, Aquila, Symachus, & Theodotio: quod tamen priuſquã ab illo audirem, non ignorauit. Si autem uſq; adeo execrandũ eſt iſtorum uerſiones citare, quare optimi quicq; in eccleſia iſtorum uſi ſunt interpretationibus? De Origene nihil eſt dubij, qui Hexapla compoſuit. Cuius laborem nõ tantum Eufebius, ſed omnis etiam ueruſtas laudans approbauit. De S. Hieronymo teſtantur eius Commentarij, quod illorum opera & uerſionibus uſus ſit frequentiffime, nec ſine laude & inſigni utilitate eccleſiæ. Facit ergo hic aduerſarius quod rabioſi canes, qui ignotis allatrat omnibus, & morſu quouſuis apprehendunt obuios. Si nescit, non probo iſtorũ errores aut hæreſes; nec quicquam mihi cum ijs eſt commercij. Non tamen omnino contemno aut damno, quod uideo ab omni ueruſtate eximio habitum loco. Credo euangelio ex animo, & ex oſculor doctrinã apoſtolicam, licet Iudas fuerit apoſtolus, & euangelium prædicarint aliquot homines peſſimi. Nec obſcurum eſt ei qui meam Reſponſionem uel in ſpexit, qua occasione ueterum illorum meminerim interpretum.

Cochleus moroſe ad-heret uul-gatæ editio-ni. Poſtremo, Me profeſto, inquit, à textu quem ex LXX. interpretum translatione approbauit mater eccleſia, nunquam dimouebũt, &c. Videat autem ne audiat à S. Hieronymo quod ſuæ ætatis Cochleus unda puriſſimi, cœnoſos riuiulos bibant, & diligentia qua auium ſyluas, & concharum gurgites norunt, in ſcripturis legendis abijciant, ſintq; in hac re tantum ſimplices, &c. Igitur tamen neq; uulgatam neq; LXX. uerſionem, ex qua uulgata (quod Cochleo uifum eſt) petita eſt, cõtemnam aut cuiquam author eſſe uelim contemnedi, ueritatem tamen Hebraicam præfero omnibus, & ei in diuulſe ad hærendum eſſe puto. Simplicium autem quorũdam in gratiam, qui forte Cochleanis ſcriptis à uerſionibus ex Hebræo abſterrentur, S. Hieronymi aliquot locos de ueritate Hebraica & trãſlatione LXX. interpretum hic colligam, ut hinc boni uiri, qui non nihil hac in re

Iudicium Hieronymi de LXX et ueritate Hebraica. S. Hieronymo tribuendum eſſe ſciunt, intelligant, quanto tutius & melius ſit ad Hebraicam ueritatem ſemper confugere, quã ea ſpreta, LXX. duntaxat interpretibus Græcis adherere uelle. Tamen ſi in ueritate non nesciam quid de LXX. interpretibus Irenæus, Auguſt. & Græci aliquot iudicarint.

S. Hierony. in Præfat. Quæſtio. Hebraicarum ad Geneſim, Iosephus,

phus, inquit, qui LXX. interpretum proponit historiam, quinq; tantum ab eis libros Mosi translatos refert: quos nos quoq; confitemur plus quam ceteros cum Hebraicis consonare. In 2. Explanat. ad Ezechielem lib. caput exponens 5. Aristeus, ait, Ptolemęi *imponis* & Iosephus & omnis schola Iudęorū quinq; tantū libros Mosi à LXX. translatos asserūt. Repetit hoc ipsum in 1. Cōment. lib. ad Micheam exponens cap. 2.

Rursus in Præfat. quæstio. Hebra. scribit, LXX. Ptolemęo regi Alexandrię mysteria quęq; in scripturis sanctis prodere noluerunt, & maxime ea quę Christi aduentum pollicebantur, ne uiderentur Iudęi & alterum deum colere: quos rex Platonis sectator magni circū faciebat, quia unum deum colere dicerētur. In Præfat. ad Pentateuchum. Deniq; ubicunq; sacratū aliquid scriptura testatur de patre & filio & spiritu sancto, aut aliter interpretatū sunt, aut omnino tacerunt, ut regi satisfacerent, & arcanum fidei non uulgarēt. Huius generis aliquot locos ostendit in Commentarijs ad prophetas, Ezechielem præcipue. In Isaię cap. 2. ostēdit perspicuam de Christo prophetiam LXX. in Græcum ex Hebręo nō uertisse. In Ieremię cap. 17. illud explanans, Peccatum Iuda scriptū est stilo, &c. Quod cur, inquit, à LXX. prætermisum sit, nescio, nisi forsitan pepercerunt populo suo: sicut & in Isaiā eos fecisse manifestū est, Quiescite ergo ab homine cuius spiritus in naribus eius, q̄a excelsus reputatus est ipse: multa; huiusmodi, quę si uoluerō cuncta digerere, non dicā libro, sed libris opus erit.

In Præfat. ad lib. Paralip. queritur editionem LXX. interpretum, sicut ab ijs in Græcum uersa est, puram ad se non peruenisse. Quid ergo hodie diceret, si nostra uideret exemplaria? In eodem prologo, & in lib. de optimo genere interpretandi, ostendit aliquot locos citatos ab apostolis, qui in Hebręo inueniantur, in LXX. interpretibus non inueniātur. In Ezechielis cap. 47. idem dicere ausus fuit, LXX. interpretes sua uersione, loci inquam eius, quem enarrat, lectoris animum confundere.

Ad Malachiam, Ex ijs, inquit, quę diximus perspicuum est apostolos & euangelistas & ipsum dominum saluatorem, non LXX. interpretum auctoritatem sequi, qua Hebręę linguę habentes scientiam, non indigent, sed ex Hebręo transferre quod legerint, non curantes de syllabis punctisq; uerborum, dummodo sententiarum ueritas transferatur. Idem in Daniele cap. 4. Iudicio magistrorum ecclesię editio LXX. in Daniele repudiata est, & Theodotionis uulgo legitur: quę & Hebręo & cæteris translatoribus congruit. Vnde

H. BYLLINGERI RESPONSIO II.

& Origenes in 9. Stromatum uolumine, asserit se quæ sequuntur ab hoc loco in propheta Daniele non iuxta LXX. interpretes, qui multum ab Hebraica ueritate discedant, sed iuxta Theodotionis editionem differere.

Hæc ex Hierony. hætenus huc transcriptimus, cum quo concertet Cochleus, si libet. Nostræ responsioni nihil addimus amplius, cū adhuc firma & inconcussa, ueritatis & simplicitatis fundamento innixta, stet.

Ad caput VIII. de nouo & falsificato euangelio.



Doctrina
Tigurina
ecclesie nõ
noua.

Vb finem libri & in cap. ultimo Replicæ suæ egregia de monstracione & argumentis, si dijs placet, efficacissimis docere uult fidem & doctrinam nostram planè esse nouam. Qua re mirū est, quàm suis semetipsum pingat coloribus. Adeo, inquit, manifestum est, fidem uestram nouam esse, ut ex Heluetijs neminem esse putem qui id neget. Ego autem longe uerius tibi dico, pauculos esse in Heluetijs qui id affirmant. Sed & bona pars eorū quoq;, quibus adlubescit Missa & diuorum intercessio, Romanenses nugas reliquas, quas tu tantum non adoras, floccifaciunt. Quod si omnes Heluetij, adde & omnes ad unum Germani, Galli, Pannonæ, Itali & Hispani dicant tecum, nostram doctrinam & fidem esse nouam, ergõne noua erit, quia illi sic pronunciarunt, nondum tamen quod pronunciarunt, scripturis confirmarunt. Nostra fides & doctrina, non ab hominum pronunciatibus dependet, sed uerbo innititur dei uiuentis, & in æternum regnantis.

Bellum fo:
ciale.

Epistolis, inquit, & armis pugnauerunt contra uos socij siue confederati uestri, ergo fides uestra noua est. Expectaram testimonia ex epistolis apostolorū & arma ex literis prophetis & euangelicis spiritalia, ille mundana profert, immemor uerborum apostoli Pauli, dicentis, Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia deo ad demolitionem munitionum, quibus cõsilia demolimur & omnem celsitudinem, quæ extollitur aduersus cognitionem dei, & captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Christo, &c. Quod autem uicibus repetitis iteratum uellet, id summa cum uoluptate magnoq; cum desiderio commemorat. Nam & lupo sua uis est lacerari deuoratiq; memoria agni. Tibi uicq; similibus gratissimum haud dubie spectaculum exhiberemus, si Heluetij denuo inter nos cõmissi, ita nos mutuo ciuili imò exitiali bello attereremus, ut nullus nostrū superstes remaneret. Verum meliora speramus, fore uidelicet, ut per gratiam

gratiam & misericordiam dei, aliquando nunquam rumpendo religionis nexu copulemur, qui nūc fœderibus connexi sumus indissolubilibus & libellis uestris submissis frigidam suffundatis. Memineris quos uerborum Dauidis, Virum sanguinum & dolosum abominatur dominus. Memineris quid usuenerit Euryymo apud Castorem & Pollucem, quid Hyperbolo apud Niciam ac Alcibiadem.

Zuinglius, inquit, mortuus adiudicatus est supplicio, ergo doctrina uestra noua est. At indigne ferret aduersarius, si qs colligeret ideo nouam esse religionem papisticam, quod multi pontifices Romani Cæsarum principumq; Romanorū gladio sublati sunt: quod Thomas episcopus Cantuariensis, Thomas Morus regni Anglici Cancellarius, & Ioannes Fischerus episcopus Roffensis, quem Cochleus sanctū martyrem appellat, rex Angliæ securi percussit. Audent tamen argumenta illa sua, quæ hucusq; cōfutaui, nullo negotio propria suare laude, quasi ex ipso facto petita, solida, iusta & euidencia sint: nimirum deo has uoces ex collo aduersarij exprimente, ut inde omnes intelligant, quā iustus & solidus sit disputatoris animus.

Zuinglius
casus.

Rogat quisnam ante nouam prædicationē Zuinglij, idola, aras, Missas, & reliqua huius generis eiecerit e templo? Inde colligit, Cum autem id nemo fecerit hucusq;, noua nimirum est fides & religio uestra. Atqui licet in Heluetijs nemo tale quid legatur fecisse, fecerunt tamen non imparia, primum quidem illi qui primū Heluetijs Christum prædicarunt, deinde in alijs locis uiri sancti & docti, non intra hocætarum 30. annos, sed cum primum abusus & errores in ecclesiam inducerentur. Produximus alias tum ueteris cum noui populi dei & antistitum religionis exempla. Sed & de iure quæstio est; non de facto. Vbi autem cōstiterit id quod fecimus, iure esse factum, nulla hoc nobis scriptura & pietate prohibente, sed magis iubente, constat simul & factum esse iustum, licet nemo simile quiddam ante nos fecisset. De iure alias sæpe disputatū est, quod nemo uestrum hucusq; solidis potuit dissoluere argumentis.

Nil noua
tentatum
Tiguri.

Nemo hætenus, ait, suaserit crimen discessionis à Romana ecclesia, sicuti uos Zuingliani, ergo noua est uestra doctrina. Simul conuenitur nihil dū per me ad illa maxime necessaria capita responsum queritur: Principio defectionē à Romana ecclesia, crimen esse quæ obiecerit, non solum contra leges imperatorum, sed etiam contra fidem & charitatem. Deinde eandem pugnare cum illis Irenæi uerbis, Ad Romanam ecclesiam necesse est cōuenire omnem ecclesiam. Quibus adiicit, Si cætera dissimulare libebat, cerē ad breuia hæc re-

Crimen discessionis à Romana ecclesia.

H. BVLLINGERI RESPONSIO II.

spondisset. Cæterum mirari reuera cogor hominis perfriectam frontem, qui dissimulatū dicit, quod operose est tractatum. In libro enim de Functione episcoporum de hac eadem rededi caput integrum, quod ordine 15. est. Ibidem ostēdi & Irenæum Victori Romano episcopo ausum fuisse contradicere. Quid quod in Responsione mea, quātum satis est, purgavi crimen defectionis & seditionis, præsertim in cap. 27. Ad ea non respondit aduersarius quicquam. Docui nos nunquam à catholica Christi ecclesia defecisse, adeoq; ne à Romana quidem ueteri. Exposui quas ob causas oppugnemus nuperam illam Romanā ecclesiam, quid deniq; retineat nos, quo minus redeamus ad unitatem Romanæ ecclesiæ. Quid ad ista respondit Cochleus? Sed & inter alia dixi, Nunquam recessi ex consortio ecclesiæ, licet ab ecclesiæ Romanæ superstitionibus, doctrinis prauis, & abusus recesserim atq; recedam. Sa pe aliās testatus sum, me non damnare omnem antiquitatem, & omnes ecclesiæ Romanæ anūstites, atq; adeo ne ipsam quidem ueterem Romanam ecclesiam. An ista nō uēdit aut legit aduersarius?

Quomodo
laudantur
aliquot pō-
tificates Ro-
mani.

Sed uidit ac legit. Nam ex ijs nouam sibi sumit occasionem sophiasticandi. Colligit enim ex meis, Si boni & sancti fuerunt Romani episcopi, bonum & doctum fuisse necesse est quod crediderūt & docuerunt. Omnes autem Romani episcopi, qui ante uel post Gregorium floruerunt, tenuerunt Transubstantiationem, Missæ canonem, &c. ergo sunt illa docta & bona. Adijcit, pungens admodū epi phonema, Ita proprio iudicio damnatus esse conuinceris. Nondum autem probauit, quod omnes Romani episcopi ante & post Gregorium Papisticam transubstantiationem & Missam tenuerunt, & crediderunt. Historiæ enim, libri & disputationes multorum tradunt diuersum. Sed esto, crediderint & docuerint sic, sicuti ais, an propterea omnia hominis probauit, qui pietatem & studium pietatis probauit? Fuerunt sanè multi docti & sancti uiri, qui suis interim impliciti inhæserunt erroribus. Laudatur Cyprianus martyr. Laudatur Tertullianus ecclesiasticorum scriptorū celeberrimus. Laudatur & Lactantius Tulliana florens eloquentia, an uero ideo laudatur anabaptismus, Montanismus, & somnium Chiliaisticum? Abi ergo cum sophismate tuo, & uendita te ac uas nugas apud eos qui nondum ex his intelligunt quā cura sit tibi supellex. Maiora enim non potes, qui tam diligenter uersaris in hisce minutijs. Inter alia Leonem X. Papam bonis annumerat pontificibus, quē & Lutherus appellat Daniëlem in Babylone. Quare non subiūgit more suo, Leo X. celebrat uel Missam ergo Missa bona est, & Danielica? Abi uero mi Cochlee,

& sciscitare ex Romanis ciuibus, ex militibus corporis Papæ custodi-
bus, adeoq; ex ipsis Curianis Romanen. quàm sanctus & innocēs
fuerit Alexander 3. Iulius 2. Leo X. Clemēs 7. quibus si ita libet, con-
iungas licet, Paulum 3. Lege præterea quæ de illis prodiderunt histo-
rici & uiri boni, & intelliges Lector, Danielēs ne fuerint isti, an illi de
quibus Daniel uaticinatus est. Hęc hæctenus ad aduersarij sophisma-
ta respondere uolui, quibus probare conatus est nostrā fidem & do-
ctrinam esse nouam. Quæ uero de hac eadem re attuli & in 23. cap.
Responsionis meæ nondum attigit.

His coronidis uice pauca hæc è multis adijciam, ex quibus non
modo Cochleus, sed omnes uiri boni intelligant, cur tantopere Ro-
manos pontifices oppugnem, contendamq; nos qui à Papa & nupte-
ra Romanensi ecclesia recessimus, ad Christum & sanctorum eccle-
siam, non defecisse per impium schisma à uero capite ecclesiæ, nec à
sancta Christi ecclesia, sed à capite omnis mali, & à cæru dissidia &
bella uolente. Nam historiæ & optimorum quorunq; uirorum libri
manifeste testantur à ROMA omne in ecclesiā Christi & in orbem
Christianum defluxisse malum, Romanosq; pontifices aliquot sæ-
culis in hunc usq; diem, maximorum in orbe dissidiorum, schisma-
tum, turbarum, bellorum, cladiū atq; calamitatū fuisse auctores. Sal-
uis certè & integris adhuc rebus ecclesiæ, Victor episcopus Roma-
nus, episcopis Asianis, propter pascha ausus fuit anathema dicere: un-
de turbæ graues sunt exortæ in ecclesia. Inclinantibus autem & iam
iam ruentibus rebus, pontifices Romani cum antistitibus Constan-
tinopolitanis, nouū iniere certamen, pro primatu in ecclesia, nec de-
sistere pugnare, donec superarent obtinerentq;. Vix dirempto infelici
illo bello, exortum est longe perniciosius super usu picturæ & ima-
ginum in templis. In eo ualidissime pugnatum est in Oriente. Com-
missi inter se Constantinus filius Imperator, & Irene mater impe-
ratoris, neglectaq; omni pietate, semetipsos attriuere. In Italia oppo-
suit se Papa imperatoribus Græcis, quibus & maledixit, & nullā sub-
iectos obedientiam præstare docuit. Exorto ergo tumultu apud Ra-
uennates, Paulus Exarchus in Italia imperatoris, unā cum suis inter-
ficitur. Pontifex insuper in societate allectis Langobardis, duce An-
tephario, Imperatores Græcos eiecit ex Italia. Mox cum nimium ui-
derentur crescere uires Langobardorum, hos quoq; Francorum re-
gum opera & auxilio eiecit ex Italia. Nam Gregorius 3. Carolum
Marcellum siue Martellum contra Luitprandum, & Stephanus 2. Pi-
pinum pusillum contra Aistulphum, Hadrianus autē pontifex, Ca-
rolum Magnum contra Desiderium Langobardorum regem euo-

*A Roma
defluit omne
ne malum.*

*Roma. pon-
tifices au-
thores schi-
smatum.*

H. BVLLINGERI RESPONSIO II.

cauit in Italiam. Carolus autem captum abduxit regem, regnumq̄ deleuit Langobardorum. Paulò ante hæc tempora Zacharias Papa maximas in Francia dedit turbas, dum legitimū regem & unctum domini deijceret solio, & Pipinum subueheret pusillum. In quibus interim turbis, Romam & quæ propemodum in Italia nunc possidet pontifex, titulo patrimonij Petri & Donationis Constantini, à Francis accepit principibus. Priusquā uero hoc assequeretur, commisit inter se, sicuti iam uidisti, primum quidem Græcos, deinde cum his Langobardos, quos protinus Francorum armis deleuit, & hos quoq̄ inter sese cōmisit. Multa hic libens transeo, his non ab similia: uenio ad Gregorium 7. hominem ualde laudatum à pontificijs, sed reuera longe perniciosissimum. Huius enim pontificijs hypocrisis, artibus, audacia & insuperabili malitia, totus orbis Christianus concussus trepidauit, & seditionibus exemplo carentibus tumultuatus est. Excommunicauit Gregorius Heinrychum Cæs. eius nominis IIII. Incitauit contra hunc episcoporum opera nobilem Saxonie principem Rodolphum & Sueuie ducem. Ingentes cædes & strages hominum editæ sunt. Tota ferè Germania conuulsa & uastata ingemuit. Imperator enim bis & sexages signis collatis pugnavit, M. Marcellum & Iulium Cæsarem supergressus, quorum alter trigiesies, alter quinquagesies bis pugnavit, ut nō possit ulla lingua quantum uis eloquens calamitates istius temporis nunquam deploratas satis, dignis explicare modis. Quid quod impios istos pontifices non piguit fortissimum filium armare in patrem potentissimum, qui & multis multa cum pontificum uoluptate sese attriuere armis. Quid dicam de Pontifice Urbano eius nominis 2. sub quo primū cœpit memorabilis illa & famosissima Expeditio contra Saracenos, bellumq̄ inauspicatissimum, quod inæstimabili cum iactura Christiani nominis, summo cum dedecore, & sanguine mortalium immêso, gestum est infelicissime? Commissi sunt inter se omnes penè totius orbis populi, Saraceni, Turcæ, Syri, Persæ, Medi, Chaldæi, Græci, Arabes, Aphri, Aegyptij, & Christiani ex Germania, Gallia, Hispania, Ungaria, Sarmatia & alijs nationibus. Longo tēpore & multis annis strenuèq̄ pugnatum est utrinq̄. Dirutæ arserūt præclarissimæ urbes, uastatæ sunt fertilissimæ regiones. Ceciderunt utrinq̄ reges, principes, & hominum uis innumera. His autem bellis infideles nihilo mitiores facti (neq̄ enim dominus hunc in modum infideles conuerrere docuit) atrocius etiam sæuierunt in miseros captiuos, & uicinas regiones inuadentes, deleteris Christianis ferro & igni omnia uastarūt. Nec classicum canere cessarunt interim beati illi patres, non pluries æstimantes

æstimantes humanum sanguinem, quàm luporum & ferarum cruo-
 rem. Alexander 3. Venetos, Mediolanenses & reliquos Italiae popu-
 los concitauit contra optimum principem Friderychum Barbaros-
 sam, unctumq; domini impuris suis pedibus subiectum, indignissi-
 me nephandissimamq; superbia calcauit. Gregorius 9. bellum gerente
 Friderycho 2. contra Saracenos, aliquas urbes interim pro insigni
 sua sanctitate occupat in Neapolitano paterno Friderychi regno.
 Eundem mox idem excommunicat, unde rursus magna exorta est
 in Italia dissensio, alijs pontifici, alijs Cæsari adhærentibus. Manent
 uel hodie factionis pestiferæ fatalia uocabula Guelphorū, Papæ in-
 quam fauentium, & Gibellinorum Cæsaris partes sequentium. Au-
 xit hæc pestifera dissidia & calamitates satis alioquî miserabiles Cle-
 mens eius nominis 4. Hic enim potentia usus Caroli regis Gallo-
 rum, permultum effudit sanguinis humani. Ceciderunt aliquot ce-
 lebres uiri, inter quos fuisse Conradinus dux Sueuiæ ultimus, & Fri-
 derychus Austriæ dux: qui exerciui Germanorum ualido amisso, cer-
 nicem carnifici in carceribus amputandam præbuere. Nec Clemen-
 te clementior, imò longe atrocior fuit Bonifacius 8. qui primum qui-
 dem contra Andream Vngariæ regem Carolum Robertum excitat,
 unde miræ in Vngaria turbæ & cædes sunt exortæ. Deinde teniat &
 Germanos contra Philippū Galliarū regem armare. Ludeuichū Ba-
 uarum excommunicat Ioannes 22. Exoriuntur inde in Germania se-
 ditiones, dissidia, bella, cædes & strages, adeoq; ad patriam nostram
 Heluetiam inde redit grauis calamitas. Quid dicam de rapinis, sedie-
 tionibus, & cruentissimo bello contra Bohemos, opera Martini 5. Pa-
 pæ, gesto? Plus in eo haustu est sanguinis Christiani, quàm duo aut
 tres propemodum principes Romani in cruentis illis suis effuderūt
 persecutionibus. Et cum ad hunc modum sæuiant per orbem ter-
 ræ in miseros mortales, ceu feræ bestię, natura genitæ ad perniciem,
 pontifices, tantū tamen non adorantur à multis, & prædicantur ceu
 beatissimi & ueri in terris uicarij Christi. Vicerat felicissima pugna
 Ladislaus Vngariæ & Poloniæ rex potentissimus Turcarum princi-
 pem Amurathem, fufis copijs Turcicis, & extortis conditionibus pa-
 cis hosti difficilibus. Sed ne pax aut felicitas illa esset diuturna, mittit
 Eugenius Papa Iulianū Cardinalem, qui Ladislao persua deat, Chri-
 stianos nullatenus obstringi, ut fidem seruent infidelibus. Mox itaq;
 niolatur pacta fides, auspice beatissimo, reparatur cruentum bellum,
 præcedentibus signa, & classicum canentibus Strigonien. & Varadi-
 no episcopis. Pugnatur diu dubio Marte, & multo cum sanguine.
 Fit ingens strages hominum, diffugiunt tandem Christiani, & ca-

H. BVLLINGERI RESPONSIO II.

Quam pa-
rum mona-
chaliter lo-
quitur bea-
tissimus.

dit infelix rex Ladislaus unà cum belli authore, legato pōiticio. Ve-
nio iam ad sanguinolentum illum monachum Franciscanum, Six-
tum Papam 4. qui diplomate misso fortissimæ Heluetiorum genti,
ipsam armat & incitat contra omnes homines Papæ & papatu cler-
icali; libidini & tyrannidi, quam ipsi ecclesiasticā libertatem appel-
lant, contradicentes. Vexillum enim his militare rubeum mittit, ac in-
ter alia indigna & impia in diplomate illo suo, Ea propter, inquit, q̄
huic sanctæ sedi ac uobis faustum & felix sit, læto & magno animo
uexillum hoc, quod præfata sedes uobis donat, accipientes, contra
eiusdem sedis inimicos, uirtutem uestram ostendite. Ite animis lætis
contra hostes ecclesiæ, & illam ab oppressoribus ecclesiasticæ liberta-
tis, ac facientibus contra illam, solita magnanimitate uestra defendi-
te. Inferat præpotens exeratus uir uexillum hoc altissime, nōmine in-
uocato, contra dictæ sedis inimicos, & quemadmodū columna nu-
bis populum dei in deserto præcedebat & dirigebat in uiam salutis
& uictoriæ. Quicumq; sub ea pro ipsa ecclesia Romana pugnauerit,
à domino nostro Iesu Christo benedictus sit, & plenariā habeat pecc-
atorum suorum omnium remissionem & indulgentiam: quam ex-
nunc & per præsentem concedimus. Maledictus sit, quicumq; contra
uos pro ecclesia Romana prædicta pugnantes, pugnabit, aut facere
contra præsumpserit. Vobiscum autem sit benedictio domini perpe-
tua, cum laude & gloria omnipotentis dei, eiusq; beatæ Mariæ uirgi-
nis in sæculorum sæcula. Hæc uidelicet sunt pastore summo digna
scripta, ex quibus, nisi pituita cerebrum prorsus corruperit, recte iudi-
cemus & de beatissimo patre Papa, & de sancta sede illa Romana.
Ad eum modum haud dubie plantarunt & conseruarunt Christo
principi per orbem terræ ecclesias apostoli & uiri apostolici. Hic er-
go prodit se egregie spiritus apostolicus. Ut aut nihil dicam de Ale-
xandro 6. & filio eius, omnis nequitie exuui, duce Valentino, nōn
ne illa præcedentiū patrum, insequentū consilia dicta & facta pul-
chre expresserunt & illustrarunt? Delegerunt sibi Iulij, Leones atq;
Clementes agrum Mediolanensē. ceu aream quandā, siue lanienā po-
tius, in qua crudelitatē suam exercerent, trucidarentq; multas ex mul-
tis nationibus Christianorum myriades. Videbatur insigne gentis,
serpens hominem deglutiens, pulchre ipsorum respōdere instituto.
In hac ergo area ac laniena commiserunt populos bellicosissimos,
Gallos, Venetos, Italos, Heluetios, Germanos atq; Hispanos. Pugna-
tum est multoties animis infestissimis, factæ sunt strages hominū in-
festissimæ. Iam pulsus est Gallus, mox reuocatus, iterumq; pulsus,
Cæsar autem admissus, debilitatis interim uiribus totius propemo-
dum

dum Europæ. At in his infelicibus & ciuilibus Europæ bellis, primas perpetuò tenere beatissimi illi patres. Cum autem hæc certò ita se habeant, quis non uideat à Roma omne in ecclesiam Christi et in orbem Christianum defluxisse malum, præsertim cum è multis pauca modo indicarim? Quis neget Romanos pontifices aliquot sæculis in hunc usq; diem, maximorum in orbe dissidiòrù, schismatum, turbarum, bellorum, cladum atq; calamitatum fuisse authores? Nò est igitur quod miretur posthac Cochleus, cur graui zelo, ut ait, insensus Romanæ ecclesiæ, omnibus qui cum ea sentiunt aduerser, & cunctis ab ea deficientibus congratuler. Habet nunc tractatù de conturbatoribus ecclesiæ, habet inquam quod quæsiuit, uel potius non quæsiuit, sed doleat tamen, nisi & ipsi tandem tam nephāda Antichristi scelera displicere incipiant. Habet item perniciosissimorum schismatum authorem, & uerissimum illius in mundo uicarium, de quo dominus dixit in euangelio, Ille homicida erat ab initio, & in ueritate non stetit, quia non est ueritas in eo. Addat ergo his & illud, Romani superstitionum esse parentem, & Romanos pontifices superstitiosa & cõtraria doctrinæ Christi ac apostolorum in ecclesia Christi confirmasse. Quoties itaq; nobis obijciuntur schismata à Romanensibus, toties illud Helix opponimus, Nos non turbamus Israelem, sed tu, ó pontifex, & domus patris tui, cum deserueris præcepta domini, & incedatis post Baalim.

Post hæc euincere uult, non nouum modo, sed & falsum esse nouum *Euangeliũ* *quod Tiguri prædicatur, nõ esse falsum.* Quia, ait, post clades belli ciuilibis, confessi & polliciti estis uos nolle Quinq; cantones in uera religione sua turbare. Si autem uera est illorum fides & religio, falsa est uestra. Occurrit hic illud uerustum, Si leonis exuium non sufficit, adde uulpinum: si uiribus non obtrines, dolum adhibe. Verum intelliget aliquando quid sit *leopoldus*, coruus inquam inhiabat. Magna interim iniuria afficit Tigurinæ urbis sanctum magistratum & populũ religiosissimum, quasi quod uerum esse agnouerint, recipere nihilominus noluerint, uel id quod pro uero agnouerunt, in pactione pro falso damnarint, adeoq; suam abnegauerint religionẽ. Cum reuera in omnibus dissidatibus atq; periculis per gratiam dei in confessione fidei suæ perstiterunt, suamq; religionem retinuerit euangelicam. Nam ut Confoederati à Tigurinis non postularunt uel confessionem uel ullam ullius fidei & religionis abnegationem, ita nihil ibi uel confessi sunt uel abnegarunt. Virinq; modo pactum est, ut quælibet partium rebus suis integris, religione inquam sua, & priuilegijs suis seruetur: ut neq; illi hos, neq; hi illos turbent. Et quod nostri illis sunt polliciti, idem

H. BVL LINGERI RESPONSIO II.

illi nostris. Hoc ita transactum esse testantur pacis capita. Nisi autem uolupte esera uerfario coalita subinde refricare uulnera, ista minime proferret, quæ uidelicet ad nostrum negotiũ nihil pertinent. Proditamen eo modo & hac ratione, qua mente erga nos Heluetios sit affectus. Quid tua refert Cochlee, quibus conditionibus coierit pax inter nostros? Optime conuenit (gratia Christo) inter se Heluetijs omnibus. Nunquam ergo probabuntur hæc tua prudentioribus uiris, quibus tamen ualde gratificari cupis. Iamdudum cœperunt illis esse suspecta huiusmodi ingenia. Neq; tam crasso sunt iudicio, ut nõ intelligent quanti ab ijs fiant ac diligentur, qui nos exquisitissimis adoperiunt criminationibus, ac cane peius & angue odiunt. Theologiae professorem (non tam inepte q̃ uere exiguum) te scribis, ex diuinis itaq; literis probares euangelium nostrum esse falsum. Hoc autem facies ad Calendas Græcas. Desine ergo nugari, & puluerẽ inter nos spargere bombardicum. Non ita facile, ut speras, dissilimus. Cum lupo circum puteum chorum agis.

Figurinos euangelium nõ falsasse.

Postremo ad causam maxime seriam descendens, crimen falsificationis impactum nobis, & excusare quodammodo, & nihilominus intendere, adeoq; & probare contedit. Scripsit in libello suo, nos falsificasse euangelium. Respondi capitalem nobis ab ipso intendi actionem: uideat ergo quid agat. Adieci, Nã iure & merito suo maximo plectitur capite, qui instrumentũ publicum, ab hominibus quidem confirmatũ, falsauit: quid ergo commeruit, qui codicem euangelij filij dei corrupit? Hæc mea (nonnihil attonitus, & effuuta mitigaturus) nũc sic excipit, Ego uero neq; causam neq; actionem capitalem uobis intēdi, sed te fraterne corripui, & fideliter admonui, ut ab impijs cœptis damnabilib; proposito desistas. Atqui his reducit mihi in memorem auidax cuiusdam impudentis facinus, qui astanti nihilq; merito colaphum infregit, cumq; iniuria affectus in arma rueret ferientem & uim iniustam uiuista repulsurus, exclamauit ille, Ne sic intellexeris negotium amice, benigne te admonere, atq; sic tibi blandiri uolui. Quid quod proinus probationem criminis impacti, sibi sumit, & quædam in aciem producit: quæ qualia sint, uideamus.

Defensio Tigurinae editionis.

De sola fide iustificante iam sæpe responsum est. Veniamus ergo ad locum secundum, Erasmus, inquit, cum rota ecclesia sic legit, Baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Vos autem per nouitatis studium legitis, Baptizantes eos in nomen patris, &c. Hæc Cochlei sunt. Audiamus nunc Matthæum in 28 cap. sic dicentem, Βαπτίζοντες αυτους, εις το ονομα του πατρος, και του υιου, και του αγιου πνευματου. Sole clarius est accusatiuum hic poni, & de uerbo ad uerbum interpre-

tari

rari quod Mathæus scripsit, Baptizantes eos in nomen patris & filij & spiritus sancti. Nec soli nostri absq; ullo ueteri exemplo aut etiam neoterico, sic interpretati sunt. Manifestū enim est quid scripserit in Annotat. Valla. Certe Tertullianus scriptor uerustissimus in lib. contra Praxeam, Et nouissime mandans, inquit, ut tingerent in patre & filium & spiritum sanctum, non in unum, nam nec semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas tingimur. Quid ergo uerustatis inscius, nouitatis studiū nostris obijcis? Sed aliter legit Erasmus. Quid tum? modo Mathæus aliter non scripserit, q̄ nostri interpretati sunt. Sed & Erasmus à nostris non discrepat. Nam in Annotat. ad 1. cap. euangelij Ioan. Quanquā his, inquit, promiscue utitur euangelistæ, Credere illi, & credere in illum, & in illo. Confiteri illū, & confiteri in illo. Baptizari in nomē Christi, & baptizari in nomine Christi, &c. Hæc autem cum ita habeant Cochlee, an non magis tua exiustimationi silendo quā loquendo consuluisses? Ego sanè nullius editionis autor sum, sed ex officio quæ uera sunt defendendo. Melius ipsi authores possent, nisi mallent bonas horas melioribus impendere, quā crassis respondere calumnijs Cochleanis.

Tertium locum ex euangelio Ioannis profert. Erasmus cum tota ecclesia, inquit, sic legit, Erat lux uera quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Vos autem sic, Erat lux illa uera, quæ illuminat omnem hominem ueniens in mundum. Nos & Erasmus legimus uenientem: uos ueniens legitis. Hæc aduersarij sunt. Audiatur ergo Erasmus in suis Annotationibus, sic dicēs, Et ^{ἐπισημασθῆναι} sic positum est, ut possit & ad lumen in mundum ueniens pertinere: & hanc lectionem quosdam sequutos, indicat Augustinus libro de pecca. meri. & remissione 1. cap. 25. Ambiguitatem sustulisset articulus additus ^{ἐπισημασθῆναι}. An uero non uidit aduersarius eadē hæc uerba annotata in margine Tigurini exēplaris? Quid quod Origenes non contendit, sicuti comminiscitur aduersarius, uenientem duntaxat, non ueniens esse legendum? Nam utranq; lectionem & Venientem & Veniens idem ille indicat, nisi quod Veniens refert ad hominem, non ad Christum, sicuti nos. Legatur Homelia eius ex Varijs 2. Proinde nihil locis omnibus hisce contra nostros probauit aduersarius, seipsum autem ridendum exposuit omnibus, ac nostra innocentia iam toti innotuit ecclesiæ. Ipse uiderit quid de ipso boni uiri iudicaturi sint, qui tantum crimen innoxijs obiectum, non potuit nisi calumnijs utcumq; fucare. Nam solidis argumentis lucusq; nihil potuit probare.

Imò cum ipsi plura aut euidentiora desint, ad solitum cōuertitur

H. BULLINGERI RESPONSIO II.

Zuinglia: locum communem, ad conuitorum aceruos, atq; ingeminat *Zuing*
nos nō esse lianos non posse non esse hæreticos, eo quod Romanæ aduerferentur
hæreticos. ecclesiæ, euangeliumq; in sensu falsificent atq; corrumpant. Ego au-
 tem arbitror superius satis esse responsum ad crimen defectionis. Re-
 liquum quod de corruptione adiungit probasset. Nam in cap. 25. &
 26. responsionis meæ obiter & in transcurso, quantumq; licuit per
 compendium, ostendi nos scripturas sanctas interpretando non cor-
 rumpere. Doctrinam item nostram de iustificatione & bonis ope-
 ribus, doctrinam deniq; de pœnitentiâ & officijs uitæ, de sacramen-
 tis & salutaribus ritibus, nō esse corruptam. Ea oportuerat prius con-
 futata, si iure & non iniuria repetere uoluerat accusationis caput.
 Quod si aduersarius plaustra conuitorum in nos exonerare, non ar-
 gumentis agere instituit, sic satis bene expedit negotium.

*Bullinge-
 rii nec uer-
 ba nec sen-
 sum uerbo-
 rum Cœna
 domini cor-
 rumpere.*

Ne quid tamen dissimulem aut non confutatum transeam, sub-
 iungam quæ mox subiicit, Nec alia mihi, inquit, opus est hic proba-
 tione quàm euidentiſſima illa, quod tu adhuc hodie non cessas de-
 prauare illa ueneranda & tremenda filij dei uerba, H O C E S T
 C O R P V S M E V M, Vbi corrupto sensu, Est pro significat accipis,
 & inde multas effutis impie blasphemias, & nephandos errores. Et
 cætera. Duo mihi his pauculis uerbis grandia impingit crimina, Al-
 terum deprauare me tremenda domini Iesu uerba. Alterum corum
 pere eorūdem sensum, dum, E S T accipiam pro significat. In utroq;
 manifestam mihi facit iniuriam. Nunquam enim alijs uerbis, quàm
 his ipsis quæ ille citat usus sum: nunquam scripsi, nunquam contem-
 di, dixi aut cogitauī, alijs utendum esse uerbis: aliter uel scribendum
 esse uel legēdum. Falsum ergo falso astruit, hoc est præuarcationem
 suam grandem cumulat. Quod autem sensum atinet uerborum do-
 mini, nullum mihi peculiarem finxi, primitiue ecclesiæ sensum e scri-
 pturis petitur, sequutus sum & sequor uel hodie constanter. In
 ea duo hæc receptiſſima uulgatiſſimaq; fuerunt, Sacramenta simili-
 tudinem habere rerum, quarum sunt sacramenta. Et, Signa accipere
 rerum signatarum nomina. Appellauit itaq; uetus ecclesia ex scriptu-
 ris Panem & poculum domini, corpus & sanguinem domini. Ea-
 dem protinus sese exponens illud ipsum, quod modo corpus & san-
 guinem domini dixit, nunc etiam uocat Corporis & sanguinis do-
 mini figuram & symbolum siue signum. Sic reulit ecclesiæ sensum
 Tertullianus. Sic D. Ambrosius. Sic S. Augustinus, qui alias quoq;
 diligenter monet de Sacramentis loquendum esse sacramentaliter.
 Idem libro de Doctrina Christiana 3, cap. 6. 7. 8. 9. docet signa sacra-
 mentalia exponenda esse. Fœdissime enim errare illos, qui signa pro
 ipsis

ipfis rebus, quæ his significantur accipiunt. Proinde nullum corruptum uerborum domini, Hoc est corpus meum, sensum sequor, nisi omnis uetustas errorem & corruptionem sit sequuta, posterisq; tradiderit sequendum. Nihil ergo contra nos probauit aduersarius, qui quæ uultequitur, & pro argumentis conuitia profert perpetuo.


Hic tãdem Replicæ suæ cursum sistit, illisq; meliorem opiat mentem, qui per me nequiter & impie decepti & seducti sunt. Ego uero *rus ecclesiã Bullingerus* neminem decepi, neminem seduxi, nisi scriptura, ipsum dei uerbum, *doctrina sua non deo* seducat. Vnde precor aduersario os purius, ne aliquando dignas se *cepit.* pœnas dependat. Perrinacem me appellat, qui uerbo uiuentis dei imitari cupio. Itcirco & dei me iudicio relinquit. Verum ne ipse quidem appellarim ad alium iudicem, de causa ipsa securus, quia mentiri nescit deus, qui uerbo suo ueracissimo neminem decipit, neminem seducit. Ergo ingenti cum gaudio expecto uenientem in nubibus cœli, quem nunc toto corde adoro, cuius uerbo credo, cui me ut peccatorem supplicem subijcio, confisus de eius misericordia & ueritate, cui deniq; totum hoc negotium nostrum committo. Post ista cõcludit librum, & dicit, Si ergo certum est tibi, sic in hæresi, schismate, & rebellionem feditiosa perire, deum precor, ut alij quos decepisti, cogitent unde exciderint, agantq; pœnitentiam, ut in ecclesiæ gremio nobiscum salui fiant. Et sanè decretum est apud me ac certissimum, in fide orthodoxa, nulla in hæresi, in unitate apostolicæ & catholicæ ecclesiæ, nullo in schismate, in fideli & tranquilla obedientia, nulla in feditiosa rebellionem, in finem usq; perseuerare. Quia uero spiritus promptus est, caro autem infirma, probe mihi meæ conscientius imbecillitatis, deum precor patrem, per filium unigenitum redemptorem nostrum, ut me illuminare, & confirmare, & gressus meos in uis suis dirigere dignetur, ijs quoq; quos docui gratiam suam conferat, quo & ipsi in uerbo ueritatis ueraq; religione perseuerent, ac apud seipos recte expendant, unde exciderant, si à doctrina tradita, prophetica, euangelica & apostolica, ad papismum & commenta hominum recidunt, sed ut inhæreant potius fundamento adamantino & æterno, & ut permaneant in gremio apostolicæ & Christianæ ecclesiæ, ut salui fiant per Christum. Amen.

POSTEA QVAM respondi ad tua Cochlee, multa iam habere quæ tibi impingerem, & super quibus tecum exostularem, deniq; quæ tibi iustissimas ob causas objicerem. Ego ordine tibi ad tuum de Canonica scripturæ & catholicæ ecclesiæ autoritate libellum respondi. Nihil eorum, quæ aliquid saltem ad causam facere uidebantur, omisi. Tu uero uagaris temere, nullo in dicendo ordine in

H. BVLLINGERI RESPONSI O II.

no obseruato. Oberrans enim imò grassans per mea, quæ fortè ob-
uia habes, & putas tuis conuenire clamoribus, & conciliando apud
tuos plausui, excerpis, laceras atq; diuexas. Capulum autem rei non
peris, tua nec confirmas iustis præsidijs, neq; urges ulla euidentiâ.
Ad mea in quibus ipse cardo uertitur, non respondes legitime, non
enim nunc dico, mea non confutas efficaciter, imò ne apparenter
quidem. Posses ea tibi astringere ad numerum, sed quid numerum
dico, quum totam oporteat recapitulare responsonem meam pri-
mam, si singula uellem repetere. Testabuntur hoc quotquot libros
uriusq; legerunt. Quemadmodum ergo semper fit, ut bonam caus-
sam oppugnantes, illam oppugnando confirmet magis quàm la-
befactent: ita nunc quoq; causam nostram optimam, & responso-
nem meam simplicem & ueram aduersarius Replica sua plus orna-
uit & muniuit, quàm denurparit aut dissoluerit. Proinde hic quoq;
finem dicendi facio, gratias in omnibus deo patri per Christum a-
gens, qui semper uincit per ueritatem in suis. Oro autem Lectores,
ut hanc meam necessitatem boni consulant. Maluissimè interpretan-
dis inuigilare sacris, atq; ita inseruire studiosis: nunc autem ne
ueritati confessæ meum negarem patrocinium, hæc
quoq; scribere coactus sum. Cochleo autem
meliorem precor animum.

FINIS.



H 6969 5-7